BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 4586

2.462

MANES SLICHTINGIANI

SEV

TRVTINA VINDICIARVM

MANIVM,

Confessionis Socinianæ: Varsauiæ exustæ: editarum

A

D. IONA SLICHTING.

Producta in publicum,

A

Patre NICOLAO CICHOVIO

Societatis IESV

Typis Viduæ & Heredum ANDREÆ PETRICOVII
S. R. M. Typographi.

2.462

Facultas R. P. Visitatoris Societ. Iesv per Prouinciam Polonam.

CVm aliquot Theologi, librum, qui inscribitur MANES SLICHTINGIANI, *à P. Nicolao Cichouio Societatis* IESV conscriptum, post accuratam lectionem, luce dignum iudicauerint; ego quoque eum, potestate mihi ab Admodum Reuerendo Patre Nostro GOSVVINO NICKEL, Societatis Nostræ Præposito Generali concessa; edi in lucem permitto: si per eos, ad quos pertinet, licuerit. Cracouiæ 1. Decembris. Anno Domini 1659.

STANISLAVS IERZYKOVVIC.

Approbatio.

TRutinam Vindiciarum &c. à Reuerendo admodum P. NICOLAO CICHOVIO Soc: IESV Theologo conscriptum legi: omnia Catholicæ doctrinæ inueni conformia: errores Confessionis Socinianæ, ad amussim Diuinæ Scripturæ & SS. Patrum probè libratos & expensos ac solidè refutatos: vt mirum sit; et omnibus lacrymis deplorandum; nobilissima Polonorum ingenia, tam crassis Arrianismi erroribus inuolui: tamq; horrendis blasphemiis fœdari. Vtinam hoc clarissimo scripto, aperiantur oculi cæcorum: Vt VNVM DEVM in TRINITATE & TRINITATEM in VNITATE cognoscant: & Venerentur. Ita voueo: & Catholicam Autoris lucubrationem in lucem edi permitto. 8. Nouembris A. D. 1659.

HYACINTHVS Liberius S. T. D.
Præpositus Ecclesiæ SS. Corporis Christi
librorum in Diœcesi Cracou. Censor.

XVII-4586-III

Illustrissimo & Reuerendissimo DOMINO,

D. NICOLAO in PRAZMOW PRAZMOWSKI,

Luceorienſi & Breſtenſi Epiſcopo,

Supremo Regni Poloniæ Cancellario,

Abbatiæ Sieciechouienſis Administratori perpetuo,

S. R. M. Reiq; Publicæ, ad Tractatus cum Regno Sueciæ, authoritate Comitiorum deſignato Generali COMMISARIO &c. &c.

Domino & Mecænati meo obſeruandiſſimo.

QVOD olim ſtratagema tuendis ſuarum blaſphemiarum monſtris, teterrimus hæreſiarcha, & triadomachorum proauus, Paulus Samoſathenus commentus eſt; vt (Euſebio teſte) ſpargere auderet; fidem quam profiteretur, eſſe ab ipſo Domino, & Apoſtolis conceptam; hoc ipſum;

Illuſtriſsime & Reuerendiſsime Antiſtes Regniq; Poloniæ Supreme CANCELLARIE, *Samoſatheni nepotum, vel (vt apertiùs loquar) Arrianorum Præſes, Ionas*

Slichtingius, in vltimum lapsabundæ Sectæ adminiculum, parì impudentiâ arripuit. In hoc se tandem propugnaculum, Maiorum suorum munitionibus diffisus, recepit: vt edito scripto profiteretur; non aliam, se suosq; Religionem sequi; quàm quæ Symboli Apostolici complexu comprehensa esset. Eum in finem, edidit in lucem Confessionem: quam, portentosis suæ Sectæ suppressis erroribus, è Symboli Apostolici, sacrarumq; literarum uerbis, perniciosa admodum machinatione, vaferrimus Agyrtes, contexuit: & sanè non leui operæ pretio. Non paucis enim mentibus, huius impostura præstigiis, tantam induxit cæcitatem; vt tenebras plusquam Aegiptias Arriomanitarum, Orthodoxæ Veritatis splendori præhaberent: pluribus eandem inducturus; nisi à Perillustri & Admodum Reuerendo Domino, THEODORO ZAPORSKI, Canonico Vladislauiensi, cordatissimo Honoris Diuini zelatore, deprehensæ; & tanquam pestifera animarum carcinomata, ad Regium tribunal euocatæ: communi omnium Ordinum sententia, vnâ, cum receptaculis, quibus continebantur, flammis addictæ essent.

Oppressa videbatur in ouo iniquitas. At cùm Arriani, quod probro habere debuissent, in sui traherent gloriationem: iactantes id exustum esse; quod erroris, à nemine conuinci potuit; Christianæ veritatis propugnandæ studio; quod diu presseram, nec nisi paucis, manuscriptum communicaueram opusculum, censui publici vsus faciendum: quô, palam fieret, impostura Arrianorum, non solum rogo, sed & calamo, Orbi posse illucescere Christiano. Editum id in lucem opusculum, cùm ementitæ pietatis

tatis laruam aduersarijs detraxisset; & Confessionem, quam illi censebant liquidioris esse veritatis, quàm vt ab aliquo in dubium reduci posset, supressorum errorum, falsiq; manifestam, prodidisset; perculit animos Triadomachorum: ac in primis Ionæ Slichtingij, Confessionis Authoris, cor adeo pupugit: vt ei tuendæ, Vindicias, summo sit conatu molitus: etiam à Dijs Infernalibus precatus suppetias. [Exurgite (inquit fol. 22. Vind.) Confessionis MANES innocui: & cùm salutē vobis defendere non licuerit, saltem innocentiā defēdite.

Nimirum significare voluit: se, cùm flectere non posset superos, Acheronta mouere. Vindicijs adiecit Epistolam: quâ summæ Authoritatis viros; Regij Tribunalis quæsitores, satyrico questu, verbisq; admodum mordacibus proscidit: regniq; calamitates, quæ subinde illud, exceperunt; sui libri cineribus, iudicijq; iniquitati adscripsit: magnâ vtiq; æquissimi & prudentissimi Senatus iniuriâ: nec sine graui, Serenissimi & inuictissimi Regis LADISLAI IV. Maiestatis blasphematione.

Nolui hominis insolentiam, in scelere diu exultare: sed quamprimum, per Exilium, solitaquè Religionis negotia licuit; vtrumq; scriptum Vindicis Manium refellendum sumpsi: & Vindicijs quidem, earum Trutinam; Epistolæ verò Apologeticæ, Paræneticam obieci: ne Arriani, regno, iustissimè, ceu Dei Patriæq; perduelles, pulsi, suæ innocentiæ prædicationi, id etiam prætenderent: quòd quæ, in suæ sectæ tuitionem scripserunt, à nemine refelli potuere.

Id verò quantillumcunq; operæ est; Amplissimo, Tuæ Illu-

ſtriſſimæ Celſitudinis Nomini, dedico: efficaciùs me in animos Aduerſariorum influxurum ratus: ſi vtriuſq; opuſculi eum habuerim Hyperaſpiſten; cui nouerim, inter primas curas eſſe, Rei Catholicæ conſeruationem: & propagationem.

Habes Illuſtriſsime & Reuerendiſsime Præſul, *latè patentem campum: in quo Illuſtriſsimæ Celſitudinis, eò, ſe poſsit effundere Virtus: vt & Patriam, &* DEVM *ipſum,* TIBI *facias debitores: Patriam quidem; ſi, quâ es in Republ. authoritate, Tulliano feruore inſtiteris; vt, quod in Poloniæ Catilinas, funeſtiſsimaſq; Patriæ excetras, communi, omnium Ordinum, ſuffragio, ſancitum eſt; nullis verſipellium machinationibus, infringatur:* DEVM *verò; ſi* VERBI DEI, *ſummæ Præaternæq; Deitatis, peruicaciſsimos hoſtes, animarumq; pretioſiſsimo Verbi Incarnati ſanguine emptarum prædones, Fidei Catholicæ Fundamentorum demolitores, à finibus Poloniæ feceris, quàm longiſſimè amoueri. Ea iam de ſingulari, Illuſtr: Celſitudinis prudentia, pietate, Diuiniq; honoris zelo, Omnium Ordinum mentibus inſedit opinio: Vt ei certiſsimum, fatiſcentis, & tandem collabentis Arrianiſmi, voueant trophæum: vt ad ſupremũ Reipub. Magiſtratum euectus, eius exterminio gaudeas: tanto impenſiùs, incolumitati Rei Catholicæ, conſulturus; quantò te altiùs, ſumma in Rempub. merita ſubuexerunt.*

Dederas iam, in Magno illo Regiæ aulæ theatro, illuſtria heroicarum virtutum ſpecimina: inq; tantám Tui exiſtimationem ſollertiſsimi Principis mentem extuliſti; vt non ambigeret, feliciſsimè ceſſurum; quidquid Tuæ prudentiæ; vel publico

Reipubl.

Reipubl. conuentu, vel priuata Regiæ Maiestatis voluntate, esset commendatum. Neq; alius de Te totius fuit Reipubl. sensus.

Dedit illa, Tuæ Illustr. Celsitudini, summæ, & ad grauissima superanda negotia, expeditissimæ sapientiæ, Eloquentiæq; testimonium, cùm vtramq; in Te tantam esse agnouit; vt Eum censeret sufficere; ad Pacem, inter bellicosissimas gentes, Sarmaticam & Sueonicam componendam: vt vel hoc ipso, altissimis Te dignum honoribus professa sit; quando iudicauit: Eum Te iam Polonis esse; quod Romanæ curiæ fuere, Rosetus, & Chisius, Eminentissimi Cardinales: quorum alterum, ob rem bene gestam, in ipso laborum cursu, cælestis Senatus in suum Collegiũ adlegit: alterum, summum Ecclesiæ Consilium, in Oecumenicũ, Fidelium omnium extulit Pastorem: sperareq; videatur; Nobilissimæ gentis Beliniæ honores, eô rursus, Tuæ Illustr: Celsitudinis virtute & sapientiâ euectum iri; quo eos olim, Tuæ Illustr: Celsitudinis contribulis, extulerat Borislaus.

Perge igitur, Illustrissime & Reuerendissime Præsul: *& heroicorum operum thesauro, eum insuper annulum adijce: vt ad debellandam Arrianorum hæresim; toto animi conatu incumbas. Hæc illa secta est: quam Eminentissimus Cardinalis Hosius, in extremo impietatis gradu constitisse diebat: quam extremum impietatis Barathrum vocabat: quam Illustrissimus, æternâque memoriâ, dignissimus heros,* Stanislavs Lvbomirscivs *Palatinus Cracouiensis, sine fide; sine Baptismo, sine Deo viuẽtem; nobilitatis Prærogatiuâ indignam, censebat: quam omnia regna, etiam Acatholica, tanquam Mahometanam detestantur: vt pote quæ, nihil præter Verba cum*

Religione Christiana habeat commune. Horribile profectò virus fuisse oportet: quod non nisi conuulsis totius Reipub. visceribus euomi potuit. Et verò, si è fructibus cognoscitur arbor, facilè intelligere est: quantorum Monstrorum ferax, ea Lerna sit; quæ tot Catilinas, Cethegos, Spartacos, in Patriæ excidium effusos protulerit. Tum demum Poloniam diu desiderata excipiet felicitas: tum Patriæ, constantissima Pax, benedicente Deo, affulgebit: cùm è suo gremio horum Achanorum anathema, Tua Illustr. Celsitudinis operâ, votis omnium accedente; excludet. Accedat ergo id, Illustrissimæ Celsitudinis altissimâ virtutum gloriæ: vt, ad eam debellandam Hydram, Herculeam admoueat manum: eò victura perenniùs, quo ferociores Sanctissimæ Trinitatis hostes, inuictissimæ Crucis labaro suarum solearum substrauerit ternioni.

Ita, cum totâ Societate IESV, Illustrissimæ Celsitudini obligatissimâ vouco: id insimul ab Augustissimâ Diuinarum Personarum TRINITATE precatus; vt Illustrissimam Celsitudinem, ad Sanctissimi sui Nominis gloriam, inuicta animi magnitudine, magis magisq; augeat: faciatq; vt omnium Christianæ Religionis inimicorum machinu, maximè autem funestissimæ Arrianorum pesti, imperterrito animo resistat: & tandem, gloriæ victoriarumq; plena, tryumphali plausu, Beatarum mentium domicilio inuehatur.

Cracouiæ in Domo Professa Societatis IESV: ipso die S. Nicolao sanctissimo Antistiti sacro.

Tuæ Illustrissimæ & Reuerendissimæ
Celsitudinis
Seruus in Christo
Minimus
NICOLAVS CICHOVIVS.

TRVTINA RESPONSI
AD EPISTOLAM DEDICATORIAM.

PROPRIVM hoc est veritatis & innocentiæ, vt non aliter quàm falsis criminibus impetatur. Eapropter, etiam D. Ionas Schlichting, cum suæ Confessionis, ad rogum Varsauiensem, damnatæ, & combustæ Manes, (vti loquitur) aliter tueri, obiectasq; sibi diluere impostura non posset, à patre Mendacij petijt suppetias: mendacia: calumnias: fucos &c. Calumnia est: cùm, ait: *R. Cichouium, cùm Confessionem Schlichtingianam nullius erroris, nullius criminis ream peragere posset, aliunde, & è propriâ suâ opinatione, criminationum, conuitiorum, atq; adeo calumniarum immania plaustra conuexisse: quæ in Sociniſtas effunderet.* Calumnia inquam. Obieci: & obijcio Confessioni imposturas: easq: per singula capita, euidentissimis detego argumentis. Num D. Ionas, impostura, fallacias, dolos, pro nihilo habet, & ab omni crimine absoluit? Addo: si eius Confessionem, nullius ego erroris, nulliusue criminis ream peregi; si quæ obieci; aut impugnaui; aliunde accersiui; quid D. Ionas defendit? suamne an totius sui cætus Fidem? si suam; ea me, non inuito, in vtramq; dormiat aurem. Nec enim, mihi, cum vnâ vel alterâ personâ, susceptа dimicatio: sed cum toto eorum cætu: qui ad euertenda Christianæ Fidei Fundamenta effusi, Socinos, omnibus Sanctis Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus prætulerunt: Codicumq; Diuinorum dianoian à Sociniſticorum dogmatum analogia suspendunt. Eos inter, si se esse negat D. Ionas; videat: an non præter omnem æquitatem, me, sibi aduersarium, fingat: suiq; criminatorem, conuitiatorem, calumniatorem, (à sciente enim, & prudente profecta sunt, quæ scripsi:) nimis profectò præcipitata sententiâ, decernat. Sequaces ego, Socinorum, Smalcij, Volkelij &c. &c. impugno: quos nunc superesse, cùm nequeam dubitare; quidni è Magistrorum primariorum monumentis, de totius cætus Fidei Confessione, securissimè pronunciem? Credere, qui possum, te, à cætu tuo, Socino reiecto & damnato, Fidei factum Magistrum: tuamq; Confessionem, Socinianæ, Smalcianæ, Racouiensi prælatam?

2. Calumnia altera est: cum eodē fol. ait: quòd *N. C. Christum prout à Sociniſtis agnoscitur, colituráq;, omnibus blasphemijs incessat: Deum falsum, Idolumq; appellet: veri Filij DEI nomine indignum, ducat. &c.* At quomodo, mi Domine, tam

atrocem calumniam effutire non erubuisti? Exhibe librum: siste solium: quo ego vestrum Christum appellauerim idolum: veri Filij DEI nomine indignum? quid hæres? loquere: vel apertum abnega mendacium. Doceri à se, Christum, hominem esse nudum; æquè, ac fuit Adam; vel aliquis Patriarcharum aut Prophetarum; negare non possunt ij; qui disertissimè negant: Christum aliam naturam præter humanam habuisse. Omnis enim Persona, quantumcunq; virtute Altissimi producta, quantumcunq; à DEO sanctificata & exaltata, si aliam naturam, præter humanam habeat nullam; nudus homo est: vti Angelus, quantæcunq; gloriæ, & sanctitatis; si non nisi Angelicam habeat naturam; nudus vel merus Angelus est, Nudi hominis nomine, si quid aliud, D Iona, quàm Personam merè humanam intelligis; vel cum vmbris litigas: vel vocis ambiguitate Lectoribus illudis: vti certè omnibus illudis; cùm dicis; vos, (Sociniſtas) sacro velanda Silentio ducere; quæ à toto orbe Christiano creduntur de Diuinis Processionibus: & Verbi Incarnatione. An nescis, quæ de his mysterijs vestri Ministri Transyluani & Poloni scripserint: & tu ipse, in Antopologia, & Antiwelknero: & alibi? An blasphemiæ immunes illos dicere potes; à quibus noueras Sanctissimam Trinitatem dictam esse tricipitem Cerberum, tricorporem Gerionem, nouum idolum? an illi æternam Filij DEI generationem non blasphemarunt, qui eam vocarunt, commentum Sathanæ stupidum, absurdum, brutum? omitto cætera.

3. Supra calumniam, conuitium est: cum D. I. fol. 9. me appellat [ouem lupinis dentibus.] Cur vero ita? propter ea sola verba: *Subinde animis blasphemiarum impunitate crescentibus.* Hi ergo lupini dentes? At quæ modestiora reperiri potuere verba, ad eam exprimendam sententiam? At pergit: *vri* (inquit) *vult libros: necari homines: bonis exui: condi carceribus: inquisitionis iugo gentem liberrimam subdi, &c.* Pro facinus! quis credidisset, in eius hominis pectore, qui omnem sanctitatem, veritatisq; studium profitetur, eiusq; se cætus, qui peccare nequeat, Pastorem gloriatur; tot calumnias reperiri potuisse? decuitné Viri Nobilis fidem, ea proloqui, quæ nunquam, quantocunq; niteretur nisu probaturus esset? Proba D. Iona: si calumniator audire nolis, quo, mei opusculi, loco, legeris: Velle me vri libros: necari homines: condi carceribus: exui bonis: aliaq; quæ in miseram chartam eiecisti. Hæccine dictauit Mansuetus ille spiritus IESV? Si seruum DEI non oportet litigare, quantominus calumniari? Talibus calumnijs id assequuntur Sociniſtæ: vt ab eis, etiamsi verè Christi serui veritatisq; præcones essent, etiam cupidissimi veritatis animi abhorrerent. Ex fructu nimirum cognoscitur arbor: estq; difficillimum: ora calamosq; veritatis hostili imbutos odio, à calumnijs abstinere & contume-

lij:

lijs: quas D. Ionas, toto suo libro, non in me solùm, sed in totam Ecclesiam Christi sponsam, pleno dolio effundit. Huius calumniæ appendix quædam est: cùm fol. 13 ait: *Meis* (an nostrorum?) *instigationibus effectum esse: vt Racouia pellerentur, Triadomachi Professores: & Scholæ diruerentur, &c.* Id quantum à vero alienum sit; vel inde patet: quòd antequam à me visus esset Confessionis Schlichtingianæ liber; antequam quidquam contra eam à me fuisset scriptum; Racouienses Professores fuêre proscripti: typi, quibus, (vt in Actione contra eos habita refertur) blasphemiæ omnium Christianorum auribus intolerabiles cudebantur, abrogati: Scholæ deniq; omnes, atq; ideo etiam Luclauicenses, ad quas se postea nonnulli Sociniſtarum Magistri, Racoviâ pulsi receperant, prohibitæ. Luclauicijs; primam in Polonia fuisse Samosatheniſtarum cathedram, non nescius: nec vnquam contrarium dixi: id solùm profatus: iconoclastas Racouiâ pulsos, Luclauicias commigrasse: libros q; animabus summè perniciosos, Racoviæ olim scribi solitos, in eodem pago edi cœpisse. Porro, quæ ibi facta, idem D. Ionas refert; (an ex fide; viderit ipse:) nihil ad me. Incentorem talium, me, vel nostros fuisse: meq; ideo DEO vindice, sæuas hostium manus fugisse, & in ipsa fuga Sociniſtarum calamitatibus insultasse; cùm dicit Dòmin: Ionas: calumniatur. Nunquam enim probabit: à me, vel ab vllo nostrorum, Racouienses iconoclastas, ad Regium Tribunal euocatos esse: nunquam probabit, vllius nostrorum opera factum, vt in eos damnationis ferretur sententia: nunquam probabit, quenquam nostrorum fuisse authorem, gymnasij Sociniſtici Luclauicijs tollendi; eorumue omnium, quæ ibidem accidisse, (nescio an verè) queritur: Nunquam deniq; probabit: N. Cichouium, eo ipso tempore hostium manus fugisse: cùm plurimi viri nobiles, quorum vnus fuit D. Christophorus Visouati, nouerint; me integro & ampliùs, ante Schismaticam rebellionem, anno, Kiouiâ Ostrogium euocatum, Turouij, & Polonni saluti animarum deseruijsse: & impostoras Confessionis Sociniſticæ, mihi ad refellendum à Dno Visouati Polonni oblatæ, priùs; quàm de ea cremanda cogitaretur, detexisse: & deinde antequam vlla belli Russici suspicio esset, iussu Superiorum abijsse Ostrogio ad Collegium Cracouiense: cuius vtriusq; opulentiam, falsò admodum extollit D. I. aliud procul dubio dicturus: si Cracouiensis egestatis particeps, aut saltem conscius fieret. Horum testimonio, D. Ionam calumniæ conuictum, nullo negotio præstiterim.

4 Sociniſtas grauissimam æui nostri hæresim amplexos, verissimè dico: ex DEO esse, nego: censeoq; toties committi blasphemiam; quoties ei nomen tribuitur veritatis. Nego itẽ eam nunquã ita opprimi potuisse; quin eius flammæ erumperent. Extincto enim Photino, vbi eius scintilla emicuit? Eandem

dem hæresim, ne ipse quidem D. Ionas dicere potest, fidem Catholicam esse: Vt pote certus: Fidem Catholicam, ex vi nominis, toto orbe diffundi: Socinismum autem angustis admodum stringi limitibus: facilè periturum: (quidquid sibi novi, nescio cuius spiritus prophetæ, polliceantur;) si Poloniæ regno excluderetur. Ille solus Catholicè credit, qui pro fidei regulâ habet, non ea solùm quæ ab Apostolis scripta sunt, sed etiam quæ audita. Vtrumq; verbum, æquè commendant Apostoli.

5. Mendacium est: cum fol. 5. dicitur: *Dogma, quo DEVS ille vnus, tres esse Personæ statuitur, nec primitus fuisse ab Apostolis traditum: nec Scripturis Sacris proditum: nec ab ipsis antiquioribus Patribus, etsi à prima Fidei norma iam declinantibus,* (aduerte Lector: quid etiam de Primitiuæ Ecclesiæ Patribus sentiant Socinistæ:) *creditum.* Oppositum probauere: inuictissimi Orthodoxæ Fidei propugnatores contra impetitiones Arrianorum veterum, SS Patres: Athanasius, Basilius, Gregorius, Cyrilli, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Fulgentius, & alij: vt Recentiores Catholicos & Protestantium Scriptores, præteream. Quorum codices, cùm à Dno Iona existimem lectos; non temere persuadeor, eum loquutum contra mentem. Cum verò dicit: etiam Primitiuæ Ecclesiæ Patres, à prima Fidei norma declinasse; non solùm à veritatis orbita recedit: sed etiam Primitiuam Ecclesiam grauissimè calumniatur. Si enim Magistri & Pastores eius, à Primâ Fidei normâ declinarunt; quantò magis eorum discipuli, & ouiculæ! At serò Dni Socinistæ euigilastis: (vt modestissimè rem alioqui verbere Apostolico dignam persequar:) si Clementem Romanum, Dionysium, Ignatium, Martialem, Iustinum, Irenæum, alios; proximos Apostolis Patres, qui ab eorum ore recondita Diuini verbi sensa hauserunt, à Socino, eiusué discipulis, primam Fidei normam doceri velitis. Neq; video: quâ ratione arrogantiæ, vel impudentiæ labem eluere possitis; qui vos orbis Christiani reclamante assensu dicere præsumatis; primæ Fidei normæ, pleniùs & firmiùs, quàm Primos Ecclesiæ Christianæ Patres inhærere.

6. Mendacium est: quod dicitur fol. 5. *Nihil certius esse, quàm SS. Patres veteres non credidisse Christum esse Summum DEVM, sed solum tantùm Christi Patrem,* Oppositum in Harmonia euidenter demonstraui. vbi etiam pleraq; à D Iona obiecta; soluta. Iustinum ab eodem citari satis mirari nequeo: cùm loco citato è libro contra Tryphonem, S. iste Pater, disertè doceat; tales Christianos, qui Christum antequam homo fieret, DEVM fuisse non credebant; Tryphonis & Iudæorum sententiæ proximè accessisse. An ergo etiam Dnus Ionas ad Tryphonem & Iudæos deficere cogitat? Miror item citari ab eo Irenæum: ei apertè aduersantem. Nam si Christus seductor foret, si alium DEVM prædicasset, quàm

set, quàm Patrem; quomodo is seductor non est, qui prædicat: non solùm Christum esse alium DEVM verum, sed & omnes Reges & Iudices? Tertullianus fuit hac in parte, vt & in alijs Fidei articulis, varius. Quæ & reliqua, quæ isthic obijciuntur; ex Harmonia constant: nonnulla inferiùs explicabuntur.

7. Ex R. P. Petro Skarga, id tantùm elici potest: Apostolos Dogma TRINITATIS catechumenis reticere solitos: ob eius difficultatem: quia (vt in eandem sententiam loquitur S. Chrysostomus) priùs erat gentibus persuadendum: Christum crucifixum à mortuis resurrexisse, quàm cœlos condidisse: & illum vnum verum DEVM esse. Quis enim credere posset: eum esse verum Deum, quem viuere, vel nesciret, vel negaret? Malè verò infertur id haberi ex P. Petro Skarga: Christianos omnium Primos, summæ Christi Diuinitatis fuisse ignaros: nec de eo quidquam maius ac diuinius credidisse: quàm eum ex mortuis à DEO resuscitatum, & Dominum, & Christum, & Iudicem viuorum & mortuorum factum. Malè inquam. Nec enim ex hoc, quòd infidelibus vel catechumenis prædicatum est; inferri potest: nihil deinceps primis Christianis prædicatum esse. Fuêre hæc elementa exordij sermonum DEI: propinata eis, quibus lacte opus esset non solido cibo: Heb. 5. v. 12. [*Vobis* (ait Apostolus 1. Cor: 3. v. 2.) *paruulis lac potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis.*] Crederene mi Dne potes, Apostolorum discipulos nunquam euacuasse, quæ essent paruuli? nunquam aliud sapuisse, quàm quæ paruuli edocti fuissent? solo semper lacte nutritos, nunquam solidum cibum, nunquam escam gustasse? Quantula pars Euangelij, Concionibus Apostolicis, & Symbolo ipsi inclusa est? ne id quidem in Apostolicis concionibus legeris: Christum esse conceptum de SPIRITV Sancto, ex Virgine natum: Euangelium prædicasse: admiranda opera operatum esse: mundum per ipsum factum esse: per eundem sæcula facta, &c. &c. An ergo ideo primos Christianos id nesciuisse, vel non credidisse dicere quis audeat? Non dicitur in Symbolo: Christum, esse VERBVM DEVM, per quem omnia facta sint: qui vnum sit cum PATRE, qui omnia habeat, quæ Pater: qui dederit animam suam lythron pro multis: qui baptismum & Eucharistiam instituerit, &c. &c. An ergo hæc ignota primis fuisse Christianis dicere quis possit?

8. Cardinalis Hosius, & alij, id solùm docuere: doctrinam de Trino & vno DEO, disertè in S. Scriptura non legi: quod nec ego nego. Scio hæc verba: [Deum illum vnum, esse tres personas:] & illa: [Tres Personas Patrem, Filium, & SPIRITVM S. esse vnius essentiæ, & Diuinitatis: ideoq; esse vnũ DEVM,] nullibi κατὰ τὸ ῥητὸν, legi. Hoc solùm Hosius, Eccius, Tannerus, alijq; docuere.

cuere. Hoc Augustinus professus est. Neq; ego vspiam aliud dixi. Centum Argumentis ex S. Scriptura desumptis non κατὰ τὸ ῥητὸν, sed per discursum Theologicum probaui: tres esse Diuinas, vnius essentiæ Personas: PATREM, VERBVM, & SPIRITVM SANCTVM. Qui autem hæc meis symmistis, ipsoq; Augustino authoribus, (falsò citatis) ne vnum quidem valere dicit; conuitiator est. Certè Bellarminus, sua satis multa ad tuendum SANCTISSIMÆ TRINITATIS honorem argumenta, quorum non pauca Centuriæ inclusa sunt; nunquam dixerit, ne vnum quidem valuisse. Nunquam item de suis id probationibus dixerint, Vuiecus, Smiglecius, Valentia, Pennalosa, alijq; : qui eidem negotio suam operam impenderunt. Sanctum verò Augustinum, qui libros de TRINITATE, libros item contra Maximinum, Pescentium, aliosq; veteres Arrianos, Diuini codicis oraculis impleuit; ijsdemq; frequenter, quæ affero aduersarios petijt argumentis; quis dixerit censuisse, ne vnum quidem valuisse?

9. Videsne Domine, quam ardui operis sit, eorum; quæ hîc scripsisti, præstare fidem? Idem Dogma ex S Scripturis inferri posse: & olim accuratissimè contra veteres Arrianos, à SS PP. Athanasio, Basilio, Cyrillis, Chrysostomo, Epiphanio, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Sebadio, &c & nunc à varijs Theologis Catholicis, & Euangelicis, demonstratum est: non quidem (vt dixi) κατὰ τὸ ῥητὸν, sed per Theologicas collectiones: quarum; quia efficaciam suis argutijs eludere possunt Socinistæ: (quod ipsum in alijs Fidei quæstionibus actitant) ideo rectissimè dicitur: ad soluendos omnes Fidei nodos, genuinumque S. Scripturæ sensum assequendum, non sufficere verbum DEI scriptum: ideoque iuxta præceptum Apostolicum traditiones acceptas per sermonem, æquè retinẽdas, esse, atq; per Epistolam.

10. Nullas ergo hîc ego patior angustias. Nam satis firmam contra Socinistas instruo aciem: cùm summam & prææternam Christi Domini Diuinitatem, argumentis ex S. Scriptura collectis, euidentiùs, quàm ipsi suas hæreses, probem: neq; tamen meos, quod mihi impingit D Ionas, cædam: vt pote qui solùm doceãm: differrè in S. Scriptura non legi: Tres Diuinas Personas esse vnũ DEVM: ideoq; vt ad pleraſq; alias Fidei quæstiones dissoluendas, ita ad euertendas Triadomachorum strophas, & peruersas verborum S. Scripturæ elusiones, necessarium esse communem totius Christianitatis assensum: in Traditionibus ab Apostolico ore exceptis; & ad nostra vsq; tempora, vnà cum verbo DEI scripto transmissis; fundatum.

11 Mendacium est: dum fol 14. dicitur: *Me Confessione* (Socinistica) *omissa, cum ijs, quos animi mei opinatione conceperim erroribus, ideoq; cum laruis & vmbris*

bris depugnare. Quàm falsò id dictum sit; singulorum Capitum trutina patefaciet. Imposturam quidem Vindicis Manium hoc ipso loco grauem deprehendo.

12 Ait: fol. 15. [*Summæ Christi Diuinitatis se propugnatorem esse.*] At si ego quæram; quid Summæ Diuinitatis nomine intelligat: tribuatne Christo Diuinitatem illam, quâ nulla superior sit? (hæc quippe sola dici potest summa:) credatne Christum esse DEVM Altissimum: æqualem PATRI; omnia habere quæ sunt Patris, omnia operari cum Patre; vnum esse cum Patre? ibit in alia omnia. Atqui de hac sola Diuinitate me in Centuria loquutum omnia argumenta probant Hanc ego Diuinitatem à toto orbe Christiano in Christo agnitam tueor. Huius proteruissimè negatæ Christo; Socinistas accuso. Qui non illico culpam diluent: si prætexant animi simplicitatem: cùm eos totum orbem suæ subijcere Censuræ prodiderit D. Ionas: fol. 11. dicere ausus: *Nullum prope in Christiana fide relictum esse articulum, qui non adscititijs peregrinisq́, Dogmatis nouatus mutátusq́ sit.* Neq; effugient, si (vti solent) causentur scripturas: cùm hæ vnum esse solum verum DEVM extra quem alius non sit, multis locis clamitent: idēq; ipsum clarissimis verbis Christus ipse Dominus Ioan 17 v. 3. testatus sit: vt ideo, qui Christum negant esse vnum cum Patre DEVM; meritò dici debeant, Diuinæ Maiestatis solium inuadere: Deumq; de suæ, quasi gradu naturæ, quæ in vnitate Diuinæ essentiæ, & personarū TRINITATE consistit; deturbare niti.

13. Neque Symbolum Apostolicum ab eis facit: quod eo ipso, quòd, credendum esse in PATREM, FILIVM, & SPIRITVM SANCTVM doceat: tres Diuinas Personas agnoscit. Neq; Primitiuæ Ecclesiæ Patres, vllo eis modo suffragantur, vt in Harmonia probaui.

14. Mendacium item aut impostura est: cùm fol. 17. dicitur: *Socinistas nec pietatem Maiorum exuere: nec fidem abnegare.* Dicant enim sine ambagibus: teneantne constanter eam, quam Poloni sexcentis prope annis ante Socinorum aduentum professi sunt pietatem, & fidem? Illorum; ne ipsis quidem Socinistis negantibus, fides fuit: Tres esse Personas Diuinas vnius Essentiæ: Verbum Deum, factum esse hominem, & pro peccatis nostris satisfecisse: vitamq; æternam, fidem quam docuit, siue per se, siue per suos Apostolos amplexis; Diuinisq; legibus constanter parentibus, meritum esse. Illorum Pietas fuit: & Deiparæ, & omnibus supernæ Hierusalem ciuibus, condignos, eorumq; excellentiæ pares reddendos esse honores: Christum autem Dominum illo esse colendum cultu, quo ipse DEVS PATER colitur. Potestisnè sine mendacio dicere; eandem vos fidem pietatemq; sectari? si non; quomodo non mentimini, cùm vos maiorum pietatem & fidem abnegasse negatis? *Fidem,* (inquiunt) *tenemus maiorum: quatenus ea Catholica & vera est.* At quid Fidei Catholicæ nomine intelligitis?

ligitis? Nos, SS. PP. Cyprianus, Augustinus, Optatus, & alij, docuere: Fidem Catholicam esse eam, quæ per totum orbem diffusa est: idq; ex vi Græcæ vocis apertissimè deduxere. Vos verò quid Catholicum dicitis? Illudne est Catholicum, quod Theodotus, aut Samosathenus, aut Ebion, aut Photinus, aut æuo nostro in Polonia Socini prædicarunt? illud dici potest Catholicum; illud toto orbe diffusum; quod tantùm inter aliquos regnorum angulos latuit: neq; vnquam in illum excreuit montem, qui terram impleret vniuersam? Daniel 2. v. 35. illud dici potest Catholicum, quod in hodiernam vsq; diem latet sub modio: neq; vnquã ita in candelabro luxit, vt luceret omnibus, qui in domo sunt? Quæ verò dioptra est: quâ in Fide maiorum vestrorum, aliqua falsa aut non Catholica dispiciatis? Probare potestis, aliquid vestros credidisse Maiores, quod non mille ante annis, toto orbe creditum fuerit? Est hoc sapere ad sobrietatem, suorum omnium Maiorum, immo totius orbis Christiani, censuram sibi arrogare? toti Ecclesiæ eiusq; SS. Patribus & Theologis, qui per millequingentos & ampliùs annos floruere, errores obijcere? suæ voluntatis libidine dogmatũ Christianorũ veritatem metiri? Estnè possibile Christum adeo suæ sponsæ fuisse incurium, vt eam mille & quingentis annis pateretur adulteram? &c. &c. Pluribus de hoc querar in Epistola Paræneticа.

15 At enim necesse est etiam querelas aduersarij audire. Queritur acerbissimè: quòd dixerim: *Videri Socinistas de rebus Diuinis rectè loquendi sentiendique voluntate excidisse*: Ignoscant: non dixi id à me ipso. Hoc iam olim dixere doctissimi S. Theologiæ Doctores: P. Martinus Smiglecius, & P. Gregorius de Valentia, Magno illi, Marte togaq;, Poloniæ Regi Stephano, tanti habitus, vt eum, maximè ad refellendos Arrianos, magno studio in Poloniam euocaret: dubio procul venturum: nisi eum grauis quædam Ecclesiæ necessitas, Ingolstadio Romam auocasset. Deinde, quod ij omni præcisa limitatione dixere: ego verbo *Videntur*, moderatus sum: eo ipso testatus: me id nõ definitiuè, (vt in scholis loquimur,) sed opinatiuè loquutum. quanquam neq; id fortasse loquutionis temperamentum, fuit necessarium. Nam quæ D. Ionas ad eluendam sui cætus maculam adducit; nihil habent roboris: nisi etiam Turcæ de rebus Diuinis, & loqui, & sentire rectè, (rectitudine nimirum æternæ saluti obtinendæ necessaria) censeantur.

16 Cordolium est D. Ionæ, id eorum cætui, quòd sæpiùs obijciam: atq; ideo cardiacum ei offero amuletum. Describo ex Alcorano: à Bibliandro, Basileæ per Ioannem Oporinum A. D. 1543. edito, Mahomethi de Christo Domino sententiam. Fol. 19. inducitur DEVS Pater ita loquens: [*Omnium Prophetarum*

rum, alio super alium per me sublimato, & eorum quibusdam cum DEO loquutis, Christo Mariæ Filio, animam nostram propriè conferentes, vim & virtutem præ cæteris contulimus.] Fol. 23. inducuntur Angeli ita loquentes. *O MARIA omnibus viris & mulieribus mundior, & lotior: soli DEO perseueranter studens &c. Tibi summi nunciÿ gaudium, cum VERBO DEI, cuius nomen est IESVS Christus, filius MARIÆ; qui est facies omnium gentium, hoc, futuroq; sæculo &c. mittitur.* Et infra. *Ipse* (DEVS) *per Filium tuum cum Diuina virtute venientem, librum legiferum, omnisq; magisterÿ peritiam, & testamentum, ac Euangelium, mandatumq;, Filios Israel edocebit.* Et rursus: *Vetus Testamentum confirmabit: quædam tamen priùs prohibita, licitis annumerabit: seq; cum Diuina virtute potentiaq; venisse patefaciens, dicet: Timentes DEVM me sequamini* Fol. 37. dicitur: *Deus incomprehensibilis & sapiens, Christum ad se transmigrare fecit: in quem viri legum, veraciter ante mortem credent: & eorum sæculo futuro, testis adstabit seu iudex:* vt interpretatur Nicolaus Cusanus in Cribratione Alcorani, lib. 2. c. 12. Et infra. *IESVS Mariæ Filius, DEI nuncius, suusq; spiritus, & Verbum MARIÆ cælitus missum existit.* Fol. 40. inducitur DEVS loquens: *Christum Mariæ Filium, cui commisimus Euangelium, quod est lumen & confirmatio testamenti, ac recta via timentibus Deum, ad vestræ legis complementū misimus.* Fol. 42. dicitur. *Christus non est nisi DEI nuncius.*

Fol. 43. dicitur. *DEVS, IESVM Mariæ Filium affatus: cui tribuit animam mundam & benedictam, &c.* Fol. 98 de Conceptu Christi dicitur: *In hoc hominibus mirandum, vnicumq; miraculum, nostræq; pietatis munus appareat.*

Ibidem infra, Christus loquitur: *Super me est Diuina salus in die natiuitatis, & mortis, & qua viuus iterum accedam. Hoc est de Christo Mariæ Filio verbum verax &c.*

Fol. 110 inducitur DEVS loquens: *Filium MARIÆ, simul & ipsam, hominibus miraculum facientes, ipsis locum bonum habitandum præbuimus.*

Fol. 153 *Ille verò* (Christus) *non fuit nisi vir tantùm: cui multam bonitatem contulimus: doctoremq; Filÿs Israel præposuimus.* Et infra. *Christus cum Diuinis virtutibus veniens, inquit: En adsum, cum Sapientia vestras dissensiones discussurâ: me sequendo timete Deum: mei vestriq; Dominum.*

Fol. 168. inducitur Deus loquens. *Post illos,* (Prophetas) *Christo Mariæ Filio misso, nos Euangelium dedimus, non ab aliud: nisi vt per ipsum DEI dilectionem & gratiam assequerentur:* Notandum verò est: Turcas credere: Christum esse exaltatum: (quod in Fide Sociniſtarum de Christo, summum est:) nam fol 23. inducitur DEVS loquens: *Ego tuam (Christe) ad me reducens animam, & exaltans.*] Quod ipsum dicitur fol. 37. iam citato: & fol. 44. inducitur Christus Deum Patrem alloquens: [*Tu qui es testis omnium, postquam me ab illis ad te sublimasti: eorum cognitor existas.*] His lectis, videat iam D. Ionas meritonè que-

 ratur,

ratur, me dixisse: Sociniſtas de rebus Diuinis rectè loquendi vel ſentiendi voluntate excidiſſe: cùm de eis non aliter loqui valeant, quàm Turcæ loquantur. Profectò nõ ouum ouo ſimilius, quàm eorum Confeſſio de Chriſto, Confeſſioni Turcicæ: vt manifeſtum eſt, vtriuſq; dogmata expendenti. Filium DEI eſſe Chriſtum, non alio titulo dicunt Sociniſtæ; quàm quòd ſit virtute Altiſſimi à Sanctiſſima Virgine conceptus; Spiritu ſancto impletus, ſanctificatus, exaltatus, Iudex hominum conſtitutus. Quæ omnia cùm Turcæ credant: & de conceptu Chriſti, multò honeſtiùs, quàm Socinus, Smalcius, Budneus loquantur; negari non poteſt, eos etiam credere; Chriſtum Filium DEI, talem, qualem Sociniſtæ imaginantur. Nuncius DEI, ſeu interpres Diuinæ voluntatis, eſt Sociniſtis Chriſtus; eſt & Turcis. Secundùm naturam, Chriſtus, non eſt illis aliud quàm homo: ſeu Filius hominis: Turcis itẽ, non eſt, niſi vir tantùm &c. &c. Exhibe mi Domine, tuæ de Chriſto Fidei tabulas: & oſtende quam in Chriſto excellentiam agnoſcas, quam non agnitam à Turcis probare poſſis. Quod autem de Chriſto dico: illud ipſum de Perſonis Diuinis dictum eſſe volo. Non alius, de Sanctiſſima TRINITATE, de VERBI Incarnatione, de SPIRITV SANCTO, ſermo, vel ſenſus, eſt Sociniſtis, quàm qui Mahometanis: vt alio libro probaui. Iuſtiſſimè ergo dixi: Sociniſtas de rebus Diuinis, rectè loquendi & ſentiendi voluntate excidiſſe: cùm de eis, nec loquantur, nec ſentiant aliter quàm Mahometani.

16. Et verò, quæ eis, de Diuinis rebus rectè ſentiendi ſupperere poteſt facultas: quibus ratum fixumq; eſt, omnia de rebus Diuinis ſenſa, Socini placitis, non Sacræ Scripturæ oraculis metiri? Quid in toto Diuini verbi volumine frequentiùs, expreſſiùſq; docetur: quàm quòd DEVS verus, ita ſit vnus; vt præter illum non ſit alius? & tamen hoc Sociniſtæ negant: plures profeſſi Deorum verorum myriades, quàm vlla vnquam ſomniauit gentilitas. Iuſtitiam vindicatiuam & Miſericordiam DEI, quàm ſæpè coniungunt! quantopere prædicant SS. Scriptores! quarum tamen vtramq;, Diuina eſſe attributa, Sociniſtæ negant. DEVM nec cælo, nec terra circumſcribi: clariſſimè teſtatur S. Scriptura: cuius tamen ſubſtantiam, certi cælorum particulæ includi, Sociniſtæ docent. Eidem; odio eſſe impios, eorumq; impietatem; eædem diſertiſſimè loquuntur: quod tamen ipſum Sociniſtæ negant: vt in 30. Rationibus, fuſiùs in Speculo Sociniſtarum, demonſtraui: quod quiſquis legerit, negare non poterit: veriſſimè dici: Sociniſtas de rebus Diuinis rectè loquendi ſentiendiuè voluntate excidiſſe.

17. Iuſtiſſimè item in terra illa, quæ amplioribus à DEO beneficijs locupletata ſit, hæreſeos omnium grauiſſimæ, Scholas, (quas ideo, meritò, officinam impietatis, Deique blaſphemiarum gymnaſium appello;) erectas eſſe, queror:

Sancto-

Sanctorum Prophetarum exemplo: qui Israëlitis terram fluentem lacte & melle, aliaq; Diuina beneficia, exprobrabant: quô scelerum ingrati populi grauitatem ponderosiùs explicarent. His, ergo Prophetis, si audet, dicat D. Ionas, quæ in mei reprehensionem, vir grauis, & modestus, (vti audiui) mordaci, sed insulso scommate, iactat: timuisse eos: ne Israëlitarum apostasia, terram lacte & melle fluentem inficeret: aut credidisse: se ditiores fore, si ex terra tam felici, apostatantes Iudæi expellerentur: aut certè censuisse: minùs lugendum fuisse; si Iudæi in terrâ minùs locuplete, nouos recentesq; Deos, quos eorum Patres non nouerant, venerarentur. A fœcundo scommatum ingenio, processere etiam illa: quæ in fol. 17. & 18. effusa sunt: minore tamen, quàm superiora iudicio. Eorum enim, me ibi arguit D. Vindex: quorum se, suosq; collegas, complices negare non potest. An non enim ipsemet libris à se editis, Patronos expetijt, nunc Palatinum Belzensem, nunc Polonam nobilitatem, nunc alios? Non ipsemet prolixiore multò Orationis torrente, in eorum se laudes effudit? Sibi igitur, (vt Socinum, Smalcium Moschorouium, Pysecium; aliosq; præteream,) obijciat; quæ mihi obiecit: pro meq; facere nouerit: quidquid pro se, & suis dixerit.

18. Futilium sermonum, (nam impostura, fucosq; toto libro detego;) vnum atq; alterum exemplum afferre sufficerit: Lepida profectò, animicidij, propinationisq; teterrimi hæreseon veneni, excusatio videtur: *Nulli*, (ait D. Vindex) *nocemus, nisi volenti: & nobis ipsis. Cur ergo ob innoxium, etsi improuidum Zelum tantis exagitamur iniurijs.* Egregie! Quidsi hoc ipsum, Cherintiani, Ebionitæ, Gnostici, vel nostro æuo propiores, Dauidiani, Franckeniani, Scheideliani, Sabbatarij, Adamitæ, & alij id genus dicerent? si innoxium, (aut sibi solis, aut volentibus, nociuum;) & improuidum Zelum, causarentur? si peccare se nescios quin pro DEO se agere persuasos, profiterentur; Num Zelum illorum impunè abire pateremini? admitteretis excusationem? Meminisse debuerat D. Ionas: etiam dæmones, nemini nocere nisi volenti: quos tamen innoxios, dicturum, non arbitror.

19. Catholicis argumenta adesse; quibus animi à falsis opinionibus auocentur; satis probant: frequentes, à varijs hæresibus, Iudaismo, Mahometanismo, Ethnicismo, ad Catholicam Fidem conuersiones. Socinistæ autem, nisi largitionibus, & impostu ris in suas casses rudiorem plebeculam traherent; breui in eam ipsam, quam Photino extincto, incurrerant; reciderent solitudinem. Lepida item, negatæ Filio DEI, Diuinæ Personalitatis & naturæ, & præternæ generationis, excusatio à D. Vindice fol. 4. affertur. *Nos* (inquit) *blasphemare, qui possumus, cùm ea quæ dicuntur, tanquam dogmata inaccessa, non intelligamus?*

Atqui eadem ratione blasphemiæ immunes essent; quibus Christus crucifixus, scandalum vel stultitia fuit. Quodsi nec ignorantia, nec apprehendendi difficultas, facere potuit, ne Ethnici, & Hæretici (qui quæ ignorabant, blasphemabant; Iudæ, 10.) blasphemiæ rei essent; cùm ea carperent, quæ ignorarent: & quæ se capere posse negarent: quomodo vos blasphemiæ exortes estis, qui Sanctissimæ TRINITATIS Confessionem, toto terrarum orbe prædicatam, & communi Christianorum assensu, summâ omnium voluntate receptam, & vsq; ad sanguinis effusionem, à multis Sanctorum Martyrum millibus propugnatam; libris in lucem editis, brutam, stupidam, irrationalem, omnium sibilis exexplodendam appellare, non veremini?

20. Miserè idem, submissi animi loquutionem, quâ me elinguem Ecclesiæ DEI Filium appellaui; arrodit. *Si hoc* (inquit fol 12) *elinguis facit, quid faceret si linguam haberet?* Ita sanè: pro modulo virium, pernicioſissimam, omniumque grauissimam hæresim impugno: natiuisq; eam exprimo coloribus: feruentiùs, efficaciùsq; id facturus, si mihi, VERBVM DEVS, eam concederet linguam; quam & olim SS. Patribus, Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Gregorijs, Cyrillis, Ambrosio, Augustino, Fulgentio, Hieronymo; & nostro æuo Bellarmino, Vuieco, Valentiæ, Smiglecio, Skargæ, Pennalosæ, concesserat. Oratoriam linguam carpere non debuit D. Ionas: quâ me, ab illo superari, ingenuè fateor: vt si ea in me reprehendi mereatur; quantùuis mediocris; in eo multò magis reprehendi debeat; in quo, excellat. Non erat ergo, quòd D. Vindex meâ humilẽ locutionem, tam acerbè carperet: fortasse ipse carpi dignior, quòd se Prophetæ Baruch comparauerit. Nouimus: quantùm distent æra lupinis.

21. Duabus meis paginis, vicenas remensus D. Vindex; concludit: ea etiam arrodens; quæ nullo Vindiciarum detrimento, omitti poterant. Ait: *Me abusum, locis Sacræ Scripturæ, in fronte positis ad Sociniſtas perſtringendos.* Quid ita? *Verba* (inquit) *Christi*, Mat: 7. v. 15. *intelliguntur de illis, qui dogmata afferentes, quæ Apostoli non docuerant*, Gal. 1. v. 8. & 9. *omnem modestiam, & mansuetudinem præseferunt: sed eorum facta externæ professioni non respondent &c.* at quid poserat, verborum Christi sensui diffórmius fingi? quomodo Christus loquutus sit de doctrinis, oppositis Apostolicis dogmatibus; quæ tum adhuc fuerint nulla? Cur non potiùs, κατὰ τὸ ῥητὸν, verba Christi intelligantur, de falsis Prophetis: quales, esse Sociniſtas, vnà è 30. Rationibus euidentissimè conuici? Cur non potiùs intelligantur de illis, qui Symboli Apostolici speciem, suorum errorum monstris inducunt, vt in simpliciorum animos ficta pietate irrepant? An non euiden-

euidenter, sub Suetica tyrannide probastis; Vires vobis vestras placuisse: ideo; reliquorum, quæ scribit D. V. complices esse? Ait secundò: *Verba Apostoli*, 2. Cor: 11 v. 12. & 13. *intelliguntur de illis, qui se post Apostolos, dicunt esse missos à Christo: & Apostolicæ prædicationi, nova superinducunt dogmata: quiq, cum videantur causam Christi agere, suas res agunt, opes accumulant, &c.* Qui verò isti, si non Sociniſtæ? An non illi, se solos, tanquam normata cum norma, S. Scripturæ, & Symbolo Apostolico coniungi iactant: cùm tamen etiam Primitiuæ Ecclesiæ Patres ab eâ normâ declinasse, asserere non vereantur? An non illi soli, se collapsæ Ecclesiæ restauratores, extincti Euangelij reparatoria lumina, primos gentis Polonæ Apostolos gloriantur? An non illi, cùm videantur causam Christi agere, suas res agunt: opes (in Collectis) accumulant: terrena sapiunt: nobilium titulos, & affinitates ambiunt: magnisq; doctibus mercantur? Notiora hæc sunt: quàm vt ab eis negari possint. An non illi se transfigurant in Apostolos Christi, qui suppressis erroribus, Symboli Apostolici colorem suæ Confessioni inducunt? cùm tamen, non magis doctrinæ Apostolicæ participent veritatem, quàm Turcæ; qui, si vellent possent, suam Confessionem, æquè ac Socinicstæ, Symboli Apostolici trabeâ palliare. Nam & illi, (vt ex dictis patet) credunt in Dnum DEVM, Creatorem cæli & terræ, & in IESVM Christum de Virgine virtute SPIRITVS S. conceptum, mortuum, resuscitatum, exaltatum, & in SPIRITVM S. Carnis resurrectionem, Peccatorum remissionem, & vitam in Paradiso æternam. Dicet D. Ionas *Credunt hæc Turcæ, at cũ erroribus.* Idẽ nos obijcimus Sociniſtis. *At Turcæ non* (inquiunt) *credunt Christũ crucifixum.*] Neq; vos creditis eum descendisse ad inferos: & negatis Carnis surrectionem.

Estis ergo pares.

Ait tertiò: Verba, 2. Petri 2. v. 1. *Sunt* (inquit) *de illis qui dogmata Pestifera non fidei tantùm, sed & moribus Christianis contraria introducunt, &c.* Qui verò illi, si non Sociniſtæ? qui docent: priùs sibi dimitti peccata quàm committantur: adulterum, vel furem non esse reum damnationis æternæ, dummodo eius actus non exeant in habitum: Matrimonium ciuilem contractum esse: & consequenter, contrahentium voluntate dissolubilem, &c. qui Apostolicum illud, *melius*, manere in Virgine sua, pro hæresi habent: qui speciem Pietatis habent, sed Virtutem eius abnegarunt: propter quos via veritatis à Iudæis (vt alibi probaui:) blasphematur: qui, per auaritiam, fictis sermonibus, quæstui habent, (in Collectis) suos Auditores: & quæ alia, D. Vindex memorat: quæ in Sociniſtis, facilè reperias: non item in Catholicis. Dicere certè Sociniſtæ nequeunt: se non esse è numero eorum, qui negant Dominum, qui emit eos: quam-

BIBL. C. N. IM. OSSOLINSKICH

diu Christum Dominum, pretiosissimi sanguinis lythron, pro peccatoribus persoluisse negant: eiusq; satisfactionis pretium, non, ei qui sanguinem fudit, Verbo Incarnato, sed DEO PATRI attribuunt: atq; hoc ipsum magnopere extenuant: vt ex libris Socini de Seruatore, & Smalcij libro de Filio DEI, & alijs, manifestum est.

TRVTINA PROOEMII, D. VINDICIS MANIVM.

1. CONfessionem Sociniſticam, publico scripto refellendam, sumpsisse me; antequam, Regij Tribunalis, sententiâ, damnata, carnificis manu exusta esset; testis (inter alios viros nobiles) est: G.D. Christophorus Visouati: tunc Oeconomus Polonnensis: qui mihi, nunquam antea visam, refellendam obtulit. Eam præcipuis Theologis ad censendum datam; omniſq; blasphemiæ insontem pronunciatam; non nudè asserendum erat: sed adiectis nominibus suffragijsq; Censorum, probandum. Quod ei nihil magis nocuerit, quàm quòd innocens esset; nimis falsum est. Passim in eâ; Colchica sub dulci melle Venena latent.

2. Nulla hæresis fuit: quæ non sibi, & tremendum Christi inter Christianos nomen, & Symboli Apostolici Maiestatem, & Sacræ Scripturæ suffragium arrogaret: nulla fuit, quæ non, æquè se, ac Sociniſtas cum Sacris literis, ceu normatum cum norma cohærere iuraret: & tamen falso falsiùs est, omnes hæreses fuisse innocentes.

3. Neq; est, quòd tantopere, latam in sua scripta sententiam, G. D. Ionas lamentetur: eamq; vsq; eò prouehat; vt dicat: eâ nihil in Patria nostra publicè perpetratum atrocius. Atrocior certè fuit Zbasinensis rogus: vt librorum contumelioſis ignibus alijs, temporibus, Cracouiæ, Varsauiæ, Lubliniq; visis, supersedeam. Iudicia DEI, abyssus multa. Ea D. Ionas non scrutetur: ne detur alicui occasio quærendi: an non etiam hi Confessionis exustæ Manes, ideo per arma Suecorum, & Transyluanorum, extulerint, dominariq; fecerint Sociniſtas; vt lapsu ruerent grauiore. Quæ idem de suæ Confessionis Manibus inquietatis, addit; me non afficiunt: qui eam, (vti sæpiùs dico) non sepultam; sed viuam, vegetam, gloriabundam, perq; Volyniam, & Vcrainam magno animarum periculo grassantem, adortus sum: extractamq; ad iubar veritatis, & fraudium impostura q; conuictam, DEO auxiliante, oppressi. Hæreticorum enim fraudes detexisse; vicisse est: quorum vetus ingenium est: dulcium verborum

suaui-

ſuauitate, amariſſimorum errorũ aconita condire. Ita olim Samoſatheniſtæ, (Euſebio teſte) ſuarũ blaſphemiarũ monſtris Symboli Apoſtolici palliũ inducebant: vt lupinos dentes, ouium tegerent veſtimentis. Conferat ipſe, D. Vindex, ſuam Confeſſionem, cum eis, quæ in Antopologia, Antiuelknero, Expoſitione locorum S. Scripturæ doceat & alibi docuit: & in his ipſis, Vindicijs docet: inficiari non poterit, multa ſe in Confeſſione ſubticuiſſe: quæ alibi Diuina fide credenda aſſeruit. Etiam ergo, ipſemet, alibi, fidem docet ab ea diuerſam, quam in Confeſſione exhibet: vt proinde ſe impoſturæ fraudiumq; immunem probare nequeat. Præterea, vel ille, ſibi ſoli propriam Confeſſionem edidit, vel toti ſuo cætui communem. ſi propriam ſibi; cur ei communem præfixit titulum? cur in progreſſu operis totius ſui cætus, hanc eſſe Confeſſionem, iactat? Ego equidem non Schlichtingij ſed Arrianorum Credo impugnaui. Si cõmunẽ; quo probat; ſuam potiùs, quàm Socini vel Smalcij Confeſſionem, in vulgus probari? ſcio, quantis laudibus, Socinus, Smalcius, Moſchorouius, eorumq; Confeſſiones, à cætu Arrianorum, efferantur: qui D. Ionam, reſtauratorem collapſæ Eccleſiæ, dixerit, vidi neminem: immo intellexi: ea quoq; Sociniſtarum non nemini mouiſſe ſtomachum; quæ, in eius dixi commendationem. Quo ergo probabit Dominus Ionas, Socini, Smalcijq; dogmata, apud Arrianos adeo exoleuiſſe; nemo vt ſit, qui ea Schlichtingianæ præferat Confeſſioni? Denique, ſi eius Confeſſio, aliam exhibet fidem ab eâ; quâ Socini, Statorij, Smalcius, eorumq; diſcipuli, aliquos, Sarmatiæ, Pannoniæque angulos infecere; quid D. Ionas tuetur! ſi rectiores ſequitur ſenſus; ſi emendatus reſipuit; ſit nomen Domini benedictũ. Iuuat hîc eius dilemma, in eum retorquere. Aut tu cum Socino, alijſq; tui cætus primipilis ſentis: aut diſſentis · ſi ſentis; quid operosè nihil agis? imò quid lectoribus fucum diſſenſus facis, & Orbi imponis? ſi diſſentis; tuos damnas: operamq; ſummam nauas Catholicis, & Euangelicis. Quid enim his expetibilius ſit; quàm ſi audiant; Socinũ, quem ſui cætus, vix non æquârunt Apoſtolis; redactum in Ordinem: faſtigioq; ſummæ authoritatis deiectum, inter Proletarios Scriptores cenſeri

5. Cæterùm Socini Smalcijq; verba, ex eorum libris, ex fide excerpta retuliſſe me; negare non poterit: quiſquis ea, cum ipſorum Authorum codicibus conferet. Id quod non latuit D. Vindicem: qui eâ de cauſa, cùm aliud dicere non poſſet; ſolùm queritur: verba me, à complexu auulſa afferre: quaſi oportuerit, vel conueniens fuerit; me integros Socini, Smalcijq; libros deſcribere: meoq; Opuſculo includere. S. Scripturæ verba, quantumuis à contextu auulſa, adducere; nulli, fraudi eſt: cur ergo mihi fraudi ſit; quòd, Socini Smalcijque verba à contextu auulſa, allegem. Deniq; muneris, D. Vindicis erat: loca truncata pro-

cata proferre: meq; verborum non ex fide allegatorum conuincere: at cùm horum factum sit nihil; facilè me ab hac calumnia, & pura coram DEO conscientia, & lector æquus absoluet. Feciſſe debuit, D. Ionas: quod Sancti PP. Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus Alexandrinus fecere. Illi Iuliano, S. Scripturæ locutiones, vbi ab eo de truncatæ essent, in faciem regessere: debuit ergo idem, propalam edere · quæ ego alicubi, proposito seruientia detruncauerim: quæ in prauum detorserim sensum. Quod cum non fecerit; suo silentio, omnium mearum allegationum veritati, testimonium perhibuit.

6. Conuitium, quod in me iacit, cùm me Fratrum accusatorem vocat; non moror. Non Fratres ego, sed Triadomachos, & Christianæ Religionis hostes accuso. Nō possunt illi esse mihi Fratres: qui negant, Christū esse Nostrū Patrem: negant autem illi: qui Christum, negant, esse Patrem ex quo Omnia.

TRVTINA RESPONSIONIS AD PROOEMIVM MEVM.

1. OMitto vagulationes præficarum: quæ etiam hîc Manibus Confessionis lessum occinunt. Pudere deberet generosi pectoris virum, muliebrium planctuum. Quod ad rem attinet: non potest, D. Vindex, ex vero dicere: Symbolum Apostolicum, totum & integrum, ab omnibus Sociniſtis, pro Fidei tessera semper habitum fuisse. Nam Bebelnius, Smalcius, Moschorouius, locis à me citatis, negauere hoc Symbolum esse Apostolicum: quod à me veriſſimè dictum esse, ipsum Domini Vindicis silentium probat. Quomodo verò, id, eorum fidei tessera fuerit; quod indignum spiritu Apostolico haberetur: & Apostolicum esse propalam negaretur? Deinde, Smalcius, verba illa, *Carnis resurrectionem*; ait: non ῥητῶς accipienda, sed sobriè interpretanda esse. Et idem, descensum ad inferos, non ῥητῶς, sed ex sua opinatione interpretatur: quod ipsum facit D. Vindex. Est ergo falsum: quod Symbolum Apostolicum, totum & integrum, perpetua fuerit Fidei Sociniſticæ tessera.

2. Arrianos, voco, Samosatheniſtas: à quibus Secta Theodoti cœpit inclarescere: sequutus Smalcij contra Francium, Socini contra Volanum, Antipasquilli authoritates: (ipsi ergo Vestrates Miniſtri, docuerunt: quomodo vocari debeant:) Christianos, si dicerem eos, qui sublimiorem de Christo non habent opinionem, quàm habeant Turcæ; blaſphemarem. Neq; causa, quam D. Ionas obijcit; oppositum euincit. Nam etiam dæmonia credebant: & profitebantur: IESVM esse Filium DEI Altissimi: Mat: 8 v. 20. Marci 5. 11. Luc 4. v. 41.

v. 41. & 8. v. 28. Sanctum DEI: seu Christum DEI. Mar: 1. v. 24. Credunt item Turcæ, IESVM, esse Christum DEI: & tamen, qui dæmonia vel Turcas esse Christianos, diceret, blasphemaret.

3. Nazaræos, fuisse, verè & propriè Hæreticos, docet S. Epiphanius lib. 1. contra hæreses: tit. 22. de quibus ita scribit: *Hi hæresiotæ* (Nazaræi) *omisso nomine IESV, nec Iessæos se vocant: nec Christianos: sed Nazaræos: per omnia verò sunt Iudæi: & nihil aliud.* Breuiùs Theodoretus lib. 2. Hæret. fabularum tit. 6. *Nazaræi: sunt Iudæi: qui Christum tanquam iustum hominem venerantur. Contra eos scripsit Iustinus Martyr: Irenæus Successor Apostolorum: & Origenes.* Non est, ergo, quòd D. Ionas, sibi, suoq; cætui, eorum Titulum voueat. Nazaræos Apostolicos, id solùm credidisse, quod D. V. dicit; falsum est. Crediderunt id totum, quod docuere Apostoli: v. g. quòd Christus esset Verbum DEVS: per quem mundus factus est: & omnia quæ facta sunt: ut docuit Ioannes: quòd esset, DEVS super omnia benedictus ut docuit Paulus: quòd esset Dominus & DEVS noster vt docuit, Thomas Petrus: Iacobus: Iudas. Quæ si, illi, non crediderunt; non fuerunt Christiani: sed Ebionitæ, vel Theodotiani.

4. Primorum Christianorum fidem, non esse consonam fidei Arrianorum, ex Harmonia à me editâ, liquet. Immò id ipsum constat, ex ipsis D. Ionæ verbis: fol. 5. in fine docentis: Sanctos Patres propiores Apostolis credidisse Christum, antequam homo fieret, immo ante mundum conditum, esse à DEO Patre genitum. Ex quo manifestissimum est: Primos Sanctos Patres, Fidei, olim Samosathanicæ, nunc Sociniſticæ, apertissimè aduersatos esse: neq; eam aliunde, quam è Theodoti coriarij, vel Arthemonis lacuna, haustam esse.

TRVTINA VINDICIARVM
CAPITIS PRIMI.

Credo in Deum.

1. NOmen DEI, (si de vero DEO sermo sit;) non esse naturâ suâ commune; S. Scriptura, disertissimè docet, locis illis: quibus vocatur DEVS vnus: Deus solus: præter quem non sit alius: nullus alter: DEVS cui nullus sit similis. Nomina quædam, aliquibus, antonomasticè appropriari fateor: sed ea tantùm quæ communia esse liquidò constet. at veri DEI nomen esse commune, citra euidens Politheismi periculum, nemo dixerit. Dicat, procul omni circuitione, D. Ionas: quot esse credit veros Deos? tum videbimus: an veri DEI nomen esse commune dicere possit; quin, insimul se Politheitam profiteatur.

2. Non nego: id quod in suo genere summum est, proprio quodam iure commune sibi vendicare nomen: neq; id probari oportuit. Probandum erat esse aliquod genus verorum Deorum: & eadem operâ facilè probatum fuisset aliquem in eo genere esse summum: si tamen, inter alicuius generis species datur summitas. In hoc quidem (vt Sociniſticè loquar) verorum Deorum genere; vnicamnè an plures species agnoscant Sociniſtæ; nondum mentem suam aperuere. Pluribus de hoc egi contra dæmonographum.

3. Deum naturâ esse; non est idem, quod esse Deum Deorũ, vel Deorum omnium summum. Nam ante condita sæcula, DEVS, erat naturâ Deus: nec tamen erat Deus Deorum, nec Deus Summus, quia tum, præter eum, nulli omnino erant dij. Vocatur ergo Deus absolutè; vel Deus vnus verus: non quia summus est; qualis non nisi post conditum mundum esse cœpit: sed quia est DEVS per naturam, quam semper habuit: & quæ sola facere potest verum DEVM: vt ideo homines, qui eos, qui non sunt naturâ, sed vel beneficio, vel opinione dij, cultu Diuino venerantur, Deum ignorare dixerit Apostolus.

4 Beatissimæ Virgini Deiparæ, Angelis, alijsq; Cælitibus, nemo Catholicorum Diuinos reddit honores: sed tantùm honores dignos DEI Matre: dignos Angelis: dignos amicis DEI: pro nobis orantibus.

5. Quia vero Honor, dicitur Personæ vel suppositi: cuius etiam dignitate mensuratur: ideo nulla facta diuisione Christi, honoramus corpus eius, qua subsistens hypostasi Verbi: eo cultu, quem tanta meretur hypostasis. At qui, Christum negat esse Diuinam Personam, & tamen se ei Diuinos exhibere fatetur honores; aut anthropolatra est: aut mendax: cùm eos appellat Diuinos honores; qui Diuini non sunt: aut saltem in summa DEI ignoratione versari dicendus est. Hoc ipso loco, fol. 31. prodidit D. Vindex, quâm parum de Christi Diuinitate sentiat: *Nos* (inquit) *Christum colimus, non quâ summum Deum, sed quâ summum Dominum ab ipso factum.* Itanè? Ergo Diuinitatem Christi abnegatis. Nam etsi Adam factus fuit summus Dominus, non tamen erat Deus. Factus summus in Israël Dominus, Dauid; non tamen erat Israëlitarum Deus. Factus Orbis fere totius Dominus Augustus Cæsar: nõ tamẽ erat Deus: & qui ei Diuinos reddidisset honores, meritò ei, anthropolatria, & DEI ignoratio fuisset obiecta.

6. Sanctos Patres, infra se deiecit D. Ionas: non solùm in Antopologia & alibi, vbi eos, contemptim Patresos appellauit; sed & hîc: disertè aliquoties professus; etiam primos, Apostolisq; proximos SS. Patres, à Prima Fidei normâ, & Apostolica doctrina declinasse: quod tamen si de se diceretur, pro iniuria & conuitio haberi debere contenderet.

7. Deum

7. DEVM omni loco præsentem esse; qui Sociniſtarum negauerint; recensui in Opusculo. Neq; id negare potuit D. Ionas. Quô tamen, à suâ Confessione impostura notam auerteret; ait: me confundere modum rei, cum ipsa re. At fallit: vel errat. Immensitas Diuina, toti orbi Christiano, non aliam vnquam significauit præsentiam: quàm realem DEI, toti vniuerso coëxistentiam: quam omnino tollunt: qui DEVM essentiâ, & personâ, non alibi quàm in luce inaccessa habitare docent: contradicentes disertissimis S. Scripturæ verbis: quæ, eo loco, quo Scripturis, in Confessione citatis, clariora eiusdem S. Scripturæ verba opponenda erant, retuli. Explicandum erat, D. Vindici: quomodo DEVS cælis cælorum non capitur: quomodo cælum & terrã impleat: quomodo excelsior cælo, profundior inferno sit; si essentiâ & personâ, non alibi quàm in luce inaccessa habitat. Proferat, vel vnicum S. Scripturæ locum: qui doceat; DEVM essentiâ & persona non alibi quàm in luce dicta habitare. Non pudet, vniuersalis propositionis ex particulari factæ? Christiani Doctores, si ab eo faciunt; cur eorum verba non producta? Nimirũ, ne discussis nubibus, fulgor veritatis emicaret. Non Philosophi solùm, sed & Theologi & Doctores Christiani, Sacræq; Scripturæ interpretes passim docent: DEVM essentiâ & personâ, omni loco præsentem esse: ita tamen; vt nulli includatur: vt anima rationalis tota est in toto corpore: & tota in singulis partibus. Quòd Sociniſtæ immensam DEI essentiam, aliquot vlnis circumscribant: non sine ratione (quidquid dicat D. Vindex) coniecto. Nam cùm certum sit, dictam lucem, non esse spatij infiniti completiuam: certum etiam esse debet, eam mensurabilem esse: exhauririq; certo vlnarum numero posse. Quo præmisso: quæro à D. Vindice: quot tandem, huius lucis Vlnas, Personæ Essentiæq; Diuinæ excipiendæ necessarias censet? centumnè! an mille? an ampliùs? at cur non sufficiant tres vel quatuor; cùm spiritui recipiendo, minimus quisq; sufficiat locus? Denique ne vocis ambiguitate, simplicioribus mentibus illudatur; hoc insuper addo. Omnibus adesse locis, potentiâ, sapientiâ, prouidentiâ, (quid supra hæc dicat, esse præsentem mente, vel numine, non intelligo:) non facit immensum: alioqui causa nulla foret: quo minùs, Adam vel Noë, quorum imperio, nulli erant præfixi termini, dicerentur immensi

8. In cæteris tuendis, D. Vindex, magnum patitur veritatis deliquium. Ait: *Citatos à me Sociniſtas, solùm docere: DEVM; certè futura, præscire certò futura: quæ verò incertò futura sunt, prænoscere eum, incertè futura.* Lectorem appello: relegat verba Socini, Wolkel. Moschor. locis citatis: vel D. Vindici legenda exhibeat; Negare non poterit: sententiam horum Scriptorum, ab eâ quam D. Ionas obtrudit, esse diuersissimam. Relegat Dnus saltem vnius Socini

 verba:

verba: Præl. Theol. c. 3. fol. 26. *Si quis* (inquit) *dicat: DEVM scire; quæ nullo modo sunt, deridendus erit: quæ enim nullo modo sunt, ea ex ipsius rei naturâ, nullo modo sciri possunt.* Futura autem contingentia, antequam fiant, non esse; immo dici debere, nec futura esse, nec, non futura; prolixiùs ibidē probat. Tandem postquam per duo capita, verba S. Scripturæ, quibus docetur DEVM omnia scire; modo sibi communi elusisset: capite vndecimo concludit his verbis: *Cùm nulla ratio, & nullus Sacrarum literarum locus sit; ex quo apertè colligi possit, DEVM, omnia quæ fiunt, sciuisse, antequam fierent; concludendum est: minimè esse asserendam à nobis, istam DEI præscientiam.* Videat ergo D. Vindex: an non hic Æthiopem lauerit; cùm asseruit, à suis, (si inter eos, etiam Socinum, alioſq; quos citaui, numeret) solùm doceri: DEVM, ea quæ incertò futura sunt, prænoscere incertò futura. Producat aliqua è Socino verba: quibus sibi cum Socino probet communem esse de Præscientia DEI sententiam. Ego apertissimè oppositum video: & cùm DEI gratia Latini idiomatis non sim omnino ignatus; Socini verba capio: atque, vti sonant, explico: nec carpo: sed, cum fide exprobro. Quæ de futuro judicio, Petri negatione, fuga discipulorum, futuris &c adduxi; ad rem plurimum faciunt. Nam si Socini propositio vniuersalis vera est; æquè horum futurorum; atq; mei, interni assensus futuri; præscientia à Deo haberi non potest. Sic enim argumentor.

Quæ nullo modo sunt, ea DEVS, teste Socino, scire non potest.

Dies iudicij hodie, nullo modo est: futura negatio Petri, fuga item futura discipulorum, antequam fierent, nullo modo fuerunt: Ergo nec ille à DEO sciri potest: nec illæ potuere: cùm tam verè, & propriè diei iudicij hodie nihil sit, nihil item negationis Petri, antequam fieret, fuerit; quàm hodie mei crastini assensus nihil est: etsi ille quoq; in DEI decreto, vel in suis causis lateat.

9. De Iustitiâ, & Misericordia DEI, non ea solùm, quæ D. I. affert, dixere Socinus & Smalcius. Vterq; Iustitiam DEI vindicatiuam, negauit esse Diuinum attributum. quod D. Vindex, cùm à me verissimè dictum aduertisset; silentio texit: cùm tamen res summè exigeret: vt hîc suum aperiret sensum. Videat ergo: quàm verè fol. 24. dixerit, religionem sibi esse, impostoris & simulatione vti.

Iustitiæ partem in Bonitate Diuina consistere, non negaui: neq; id probari oportuit. De sola ego Iustitia vindicatiua, quatenus opponitur Misericordiæ egi: eamq; dissertissimis S. Scripturæ Verbis, Deo inesse, probaui: quibus, cùm D. Vindex, quod opponeret, non haberet; re silentio inclusa, in alia omnia abijt: nouo hunc paragraphum veritatis vulere concludens. Nouerat procul dubio: Socinum, Smalciumq; non aliâ de causa, negasse; in DEO esse, Attributum Iustitiæ

ſtitiæ Miſericordiæ oppoſitæ; quàm ad euertendam ſatisfactionis Chriſti neceſſitatem: & tamen ait: *Hanc DEI Iuſtitiam non oportere tolli: vt locum habeat, vera Chriſti pro peccatoribus ſatisfactio.* Relegat Dn9, Socini verba: p.3.de Seruat. fol. 211. videbit ibi hanc Obiectionem. *Dices: Opus eſt, vt DEVS iuſtitiæ ſuæ ſatisfieri curet: cui ipſe, niſi ſemetipſum quodammodo abnegat, renunciare non poteſt.* Reſpondetur: *Iam oſtendi, iuſtitiam iſtam, cui vos omnino ſatisfaciendum eſſe contenditis, in DEO non reſidere.* quo ibidem prolixè probato, ita concludit. *Ergo non opus eſt: vt iſti Iuſtitiæ, DEVS, vel ſatisfieri curet: vel renunciet.* Et infra: fol. 225. *Mirum videri poteſt: Vos, cùm de hominis Iuſtificatione agitur; iſtius Diuinæ Iuſtitiæ,(vindicatiuam intelligit:) quæ Iuſtitia in Sacris literis non appellatur; nec DEI proprietas eſt, nec in ipſo vllo pacto reſidere poteſt; tantam rationem haberi velle.* En apertiſſimè Socinus, in DEO eam Iuſtitiam reſidere negat: aduertens, ſe argumentum, pro neceſſitate ſatisfactionis Chriſti, afferri communiter ſolitum, aliâ viâ ſoluere non poſſe. Idem facit Smalc. lib. de vero DEI Filio fol. 155. & 290. vt ideo, obiectum mihi fol. 15. à Domino Iona dilemma, rurſus reponere poſſim. Aut enim cum ſuis primipilis ſentit: Iuſtitiam vindicatiuam, negandam eſſe in Deo, neceſſitatem ſatisfactionis Chriſti negantibus; aut ab eis diſſentit. Si cum illis ſentit: cur negat eam oportere tolli, vt locum habeat, vera Chriſti pro peccatoribus ſatisfactio? quid lectoribus fucum facit: & Orbi imponit? ſi diſſentit? primùm ſuos damnat: deinde tollit ſuo cætui, ſoluendi argumenti præſcriptam à Socino viam: atque ita vel ſuos ipſe cædit: vel ipſe cæditur.

Ne illud quidem candorem olet: quòd verborum Pſalmi, à me citatorum nexũ, D. V. ſuppreſſit. Dicit Pſaltes; *DEVM pluere in peccatores laqueos, ignem ſulphur &c.* Cur verò? *Quoniam iuſtus Dominus: & iuſtitias dilexit:* ideoq; (vt alibi dicitur) *odio eſt DEO impius & impietas eius, &c.* Vocula hæc *(quoniam)* conuincit: Deum etiam cùm punit vocari iuſtum: & Iuſtitiam punitiuam, vocari Iuſtitiam: (per quod Socinus falſi arguitur:) atq; Deum, æquè attributiuè eſſe iuſtum in puniendis peccatis; atque in remunerandis iuſtis.

10. DEVM eſſe ſummè bonum, negari à Sociniſtis, verbis Socini, Smalcijq; probaui: non laceris, vel mutilatis, (vti calumniatur D. Vindex) ſed ad literam deſcriptis. Videat quæſo loca à me citata, ſtudioſus veritatis Lector: &, quàm meritò D. Vindici exprobrem calumniam, exploret. Sæpiùs mihi lacera & mutilata verba obijcit hic Dominus. At, ſi ita eſt; cur ea non complet, quæ addenda, omiſerim? cur non exhibet, quid, ad propoſitum faciens, à me ſit

ſuppreſſum? Duobus id tantùm locis fecit: idq; quàm falsò; ibidem patebit. Miror verò, ea S. Scripturæ loca contra me produci: quæ ipſemet in Antopologia diluebat: magna indignatione, in Clementinum, homo licet modeſtus & grauis, inuectus. Nullum tamen Scripturæ locum attulit: qui à me allatas, Socini, Smalcijq; blaſphemias tueretur. Dicit Scriptura: *Filij Heli non audierunt vocem Patris ſui:* at non dicit (vt Socinus loquitur) Deum effeciſſe, ne audirent. Dicit Scriptura: dixiſſe Deum: *Suſcitabo ſuper te,* (Dauid) *malũ de domo tua:* (Verba D. Ionæ, Deus excitauit Filium contrà parentem: non ſunt ibi:) *& tollam vxores tuas: & dabo proximo tuo &c.* at non dicit: quòd *Diuino conſilio, adactus eſt*; (bene hoc verbum notetur: & expendatur:) *Filius, adſtuprum, ſui Patris vxoribus inferendum.* Dicit: *Deum tradidiſſe quoſdam in reprobum ſenſum, vt faciant turpia.* at non dicit, quod dicit Smalcius: quod aliquem (horreſco referens) *ad aliquod facinus patrandum adigat.* Dicit: *DEVM miſiſſe hominibus operationem erroris, vt credant mendacio:* at non dicit: *DEVM procuraſſe: vt homines in grauiſſimos ruerent errores: & per multa ſæcula noluiſſe veram de DEO doctrinam ab eis cognoſci.* Dixit: *Deum impleuiſſe: quæ prædixit per prophetas, Paſſurum Chriſtum*: at non dixit: *Eum eſſe abuſum Iudæorum malitia ad occidendum Filium.* Cætera quæ D. I. affert; nunquam adæquabunt, horribile illud Smalcij dictum: DEVS contemptores &c. Benignam verborum abſurdiſſimorum explicationem, vt improbare non audeo: quia fraternam ſpirat charitatem: ita probare non poſſum: quia videtur afferri contra mentem. Quis enim vel mediocriter tinctus lectione librorum D Ionæ, credere poſſit; eorum Authorem id non eſſe aſſequutum: quòd aliud ſit, ſuo conſilio efficere, vt Filij non obediant Patri; aliud permittere? quòd aliud ſit, alisui occaſionem peccati non auferre; aliud ad inceſtum adigere? quòd aliud ſit implere prædicta de paſſuro Chriſto, aliud abuti Iudæorum malitia ad occidendem Filium? quòd item aliud ſit hominem adigere ad facienda turpia: aliud oſcerre ſalutis remedia, per quæ aliqui deteriores fiant? quòd denique, aliud ſit procurare, (quod faciunt hæreſiarchæ:) vt homines ruant in grauiſſimos errores: aliud id permittere: vel efficacibus remedijs non prohibere. Quibus verò coloribus obnubilet, illam craſſiſſimam blaſphemiam Smalcij: quod DEVS aliquem protrudat: & vi quodammodo facta, ita conſtringat, vt non poſſit non peccare? Quid libero arbitrio perniciosius, quid exitiabilius, dici potuit, aut cogitari?

Miſeret verò me etiam Aduerſarij: (qui me ſatis acerbis, fol. 38 & 39. proſcindit ſcommatibus: quibus ego non alios opponam vindices: quàm verba S. Stephani:)

phani: *Domine: ne ſtatuas illi, hoc peccatum:*) Miſeret me, inquam: quòd Socini, Smalcijq; tuendi cauſa, grauiter delinquat in veritatem. Verba eius ſunt. *Non dixit* (Socinus) *quod Abſalon ab ipſo DEO adactus fuerit ad ſtuprum: adactus eſt enim ſua nequitia.* At Socini verba aliud ſonant. Ait is Diuino conſilio adactum eſſe ad ſtuprum. Nunquid nequitia Abſalomi fuit Diuinum conſilium? Interueniente, inquit, conſilio DEI id factum. at quibus ê Socini verbis eam gloſſam elixas Domine? Nonnè tibi, eo ipſo folio, refragatur Socinus? cùm dicit: grauiſſima ſcelera, ob quæ, ira DEI in homines, venire ſolet, ab ipſius DEI voluntate pendere: & ideo fieri, (Nota bene Domine, & quo te hîc Clementinus vrgere poſſet, aduerte:) ideo, (inquit) fieri: quia DEVS vt fiant, antea decreuit. Illud verò miſerabilius: quod dicas, per illa verba, *Protrudit: & vi quodammodo facta, ita conſtringit, vt non poſſint non peccare;* id ſolùm ſignificari: quòd DEVS ita in peccatum hominem improbum agit, vt vltrò, ac libens in malum ruat. Quid magis diſſonum verbis Smalcij fingi potuit? Smalcius dicit, non poteſt non peccare: tu verò; vltrò peccat. Smalcius dicit: protrudit: vi quodammodo facta conſtringit: tu dicis: non cogit &c. Videſnè mi Domine, quo te inconſulta alienorum næuorum tuitio abduxit? Quàm meliùs feciſſes; ſi quod olim, dixiſſe Pareum, noſter ſcribit Becanus, certâ de Prædicatione ſententiam, eſſe quidem Caluini: ſed non Caluiniſtarum: ita & tu hîc (vt in Antapologia feceras) negares; tuam hanc eſſe ſententiam: (quidquid de ea Socinus, Smalcius, eorumuè nepotes vel diſcipuli ſenſerint:) tunc enim demonſtrares, te veriſſimê, Socini, Smalcijq; dicta, non habere pro Oraculis: ſuiſq; Authoribus, duriùs ab eis ſcripta relinquere: quæ quamdiu tuebere; nemini perſuadebis, te priuatos, Socini, Smalcijque ſenſus, Sacrarum literarum Oraculis poſthabere: quos hîc, dum totis viribus tueris; oleum & operam perdis: vt è dictis perſpicuum eſt.

11. Vnum hîc præterea caperenequeo. Ais, fol. 38. quòd *Si quis effecerit; vt aliquis qui perire malit, quàm ſervari; in multos errores, & peccata grauiſſima corruerit; nullo crimine teneretur.* At, mi Domine, intelligiſne quæ dicas? Si fœmina nequam, hominem perditiſſimum, libidiniq; immerſum ad ſtuprum pelliciat; ſi prædo, aliquem in rapinas, & homicidia effuſum in Societatem latrocinij trahat; ſi Hæreticus, v. g. Dauidides, vel Scheidelius, atheum ad ſuam hæreſim inducat; Num. & illa, & iſti nullo crimine tenerentur?

12. In Examine locorum S. Scripturæ à D. Iona allegatorum, carpit primò: quòd verbis illis, quoties abſolutæ voci DEI articulus præfigitur; non adiecerim verba hæc; *excellentiam denotans.* at quomodo, ea adiecerim; qui nullibi, in tot veſtris libris, reperire potuerim, certum aliquod præceptum: quo agnoſcere

iceretur articulus excellentiam denotans? Vos ipsi, non nisi ad amussim analogiæ Fidei vestræ, metimini hosce articulos · Et pro libito, nunc eis excellentiam assignatis: nunc negatis: vt in Refutatione Explicationis quorundam S. Scripturæ locorum, à D. Iona editæ, probaui: vbi etiam ostendi, eâdem vos normâ, interpretationes Verborum S. Scripturæ metiri. Quid enim āliud quàm vestræ Fidei Analogia fecit; vt Deum, qui Ecclesiam acquisiuit sanguine suo, negetis esse Christum? quid, inquam aliud facit? Nunquid sanguis quo acquisita est Ecclesia, non fuit sanguis Christi? alienone an proprio sanguine nos redemit Christus? quid aliud, quàm præiudicium opinionis facit: vt clarissimo literali relicto sensu, ad Metaphoras fugiatis? & omnia S. Scripturæ loca, quibus absolutè, & cum articulo, DEI nomen tribuitur Christo, euertere; omni studio nitamini? Cur per magnum illum DEVM, cuius est apparitura gloria, non censeatur, illa ipsa persona; quæ ibidem appellatur DEVS Saluator noster: qui dedit semetipsum pro nobis: qui venturus est ad iudicium, in Maiestate sua, & omnes Angeli cũ eo: Math: 25.v.31. An non manifestissima proteruia est: negare sensum, quem verba præcedentia & sequentia euidenter exigunt?

13. Iudæ v. 4. vocem DEI, ad IESVM Christum iustissimé retuli: at D. Ionas, & corruptionem mihi, & imponendi intentionem, iniquissimè tribuit. Iniquissimè, inquam. Nam in Regijs, Biblijs, & in Nouo Testamento Arriæ, & rursus in Nouo Testamento Antuerpiensi edito à Plantino: A. D. 1574. ita leguntur; καὶ τὸν μόνον θεὸν καὶ δεσπότην τὸν κύριον ἡμῶν ἰησοῦν χριστὸν ἀρνούμενοι. Vbi vocẽ DEI à Dominatore comma non distinguit: & vno tractu de IESV Christo loquitur Apostolus: vocando eum, Deum & Dominatorem, illum Dominum IESVM Christum: nulla intercedente particula, inter Dominatorem & Dominum: sed potiùs, vocem Domini cum articulo, voci DEI & Dominatoris subijciendo: vt significaretur; illum vnum DEVM & Dominatorem, non alium hîc intelligi, quàm illum Dominum Nostrum IESVM Christum. Impugnationes D. Ionæ futiles sunt. De commate iam dixi. Vocem Domini, non expunxi: sed voci Dominatioris inclusi. Particulam ET esse vbiq; distinctiuam toties falsum esse conuincitur: quoties in S. Scriptura dicitur: DEVS & Pater Noster: Deus & Pater Domini Nostri IESV Christi: Deus & Pater Misericordiarum. Idque D. Ionam aduertere noluisse miror. Num etiam Verba illa Dauidis Rex meus & Deus meus: & illa S. Thomæ, Dominus meus, & Deus meus, distinctionem personarum sonant? Siccinè decet, verba S. Scripturæ tractare primatem millius cætus, qui se, nihil aliud, quàm quod in Scriptura disertissimè legit, credere gloriatur?

14. Loc

14. Loca Isaiæ, quibus Christus Iehoua dicitur, iam à Bellarmino, Valentia, Vuieco, Smiglecio, & alijs, ita defensa sunt: vt me ampliùs eis immorari sit superuacaneum: præsertim cùm id abundè fecerim in Anastasi Centuriæ cæsæ: & Tryumpho Sanctissimæ TRINITATIS pridem conscriptis, etsi, inopiâ sumptuum nondum editis. Dominus exercituum, etsi vnus sit; quòd Dominum exercituum mittere possit, sufficientissimè explicauit, R. P. Smiglecius, in Opusculo, de simili Zachariæ loco separatim edito. Eum si potest refellat Dominus. Ego ei hîc læsæ veritatis crimen obijcio. Ait fol. 41. *Hieronymus ipse, Dionysius Carthusianus, Vatabl. verba c. 48. v. 16. non Domini Exercituum, sed Prophetæ ab eo missi, esse dicunt.* Subsiste mi Lector, & viri nobilis, cui par esset, inter primas curas esse veritatem, fidem explora. Adeamus Hieronymum. *Vt hæc,* (inquit) *quæ dicta sunt, annunciet, dicit se Propheta missum, à Domino & Spiritu eius.* Iam tryumphat D. Ionas. Sed pergat vltra: referat: quid ampliùs S. Doctor ait. Tacet: & ora pallor albus occupat. Sed frustra es: Prodi in lucem Domine: pateat quid subticuisti: quid vlterius loquitur Hieronymus. *Hoc* (inquit) *iuxta Hebræos: & eorum opinionem.* Quæ verò tua Hieronyme sententia? *Cæterũ* (inquit) *iuxta Symmachi, & iuxta LXX. textus,* (quos ibidem refert:) *ad Domini Personam refertur: qui verè dilectus est à Patre: & qui fecit omnem voluntatem Patris: qui subuertit semen Chaldæorum: id est dæmones: ipse loquutus est: & audiuit filium: & adduxit illum: qui loquitur ad credentes: venite ad me omnes, qui laboratis, &c. &, audite hæc, quæ à principio in abscondito sum loquutus, id est: per ænigmata, & mysteria prophetarum. Quando fiebant omnia à Patre, ipse erat cum eo: cui adgaudebat: qui etiam nunc dicit: Ego qui semper eram cum Patre, & in Patre, etiam nunc loquor: & iuxta fragilitatem carnis assumptæ dico: quòd Dominus DEVS miserit me & Spiritus eius: breuiq, versiculo, TRINITATIS nobis ostenditur Sacramentum.* Hæc Hieronymus. Videamus iam Dionysium. Refert primò sententiam Hebræorum, à S. Hieronymo descriptam: suum autem sensum ita aperit. *Verùm, melior videtur aliorum explicatio · exponentium ista, in persona DEI; & de perfecta liberatione quam Christus effecit: sicq, in Persona Christi, nunc dicitur: Accedite ad me homines vniuersi: & audite hoc; quod subditur: Non à Principio (1. tempore dationis legis in monte Synai) locutus sum in abscondito: (manifestè enim, cernentibus filiis Israel, data est lex:) ex tempore antequam fierent, ibi eram: (secundum Diuinitatem: lex enim à Sancta TRINITATE data est, cuius opera sunt indiuisa: ideo à qualibet persona dici potest data.) Et nunc, (1. tempore gratiæ) Dominus DEVS PATER, & SPIRITVS EIVS, misit me secundum naturam assumptam: vt enim, à tota TRINITATE facta est Incarnatio Verbi; sic Christus homo, à qualibet Persona Diuina dicitur missus: etiam à seipso, secundùm quod DEVS est. Quod autem hæc de Isaia exponi ne-*

queant,

queant, patet ex translatione LXX. interpretum &c. Consequenter in Persona Christi subiungitur: Hæc dicit Dominus, Redemptor tuus Sanctus Israël: 1. (*Verus Mundi Saluator: DEI Filius incarnatus*) *Ego Dominus Deus tuus* (*ô populе Iudæorum, omniumq; fidelium*) *docens te vtilia*: (*1. Euangelica documenta:*) *quem ipsum sensum veriorem esse & rectiorem, ait hic S. Hieron.* Hæc Dionysius. Vatablum non habeo: nec admodum curo: quia notas Biblicas, quæ sub eius nomine circumferuntur, suppositicias esse; testãtur, Genebrardus, Posseuinus, Beza: qui eas Leoni Iudæ Heluetio attribuit.

Cæterùm ex lectione S. Hieronymi, & Dionysij, cum verbis D. Ionæ collatâ, studiosa salutis æternæ anima, colligere potest: an eam securè, fidei; hominis, in tanto mendacio deprehensi, committere possit.

Pessima profectò causa est: quæ à viro Nobili, & erudito, defendi non potuit; nisi frequentibus pseudologijs vulnerata veritate. Indulgeo Authoris pudori: & quæ in mentem hac occasione veniunt, taceo. Non possum tamen dissimulare, & dolori mihi, & admirationi esse, quod D. Vindex dicere sit ausus, *eos omni idoneâ destitui probatione: qui per citata Isaiæ loca, Christum, esse Dominum exercituum, seu Iehouam,* (quidquid sit de Crisi aliquorum saperdarum) *volunt demonstrare.* An quia aliquis verba Prophetica futili glossa adoritur; & eludere conatur, ideo eis innixam elidit probationem? Tollat modo D. Ionas præiudicium opinionis; verba cum verbis, periodos cum periodis, κατὰ τὸ ῥητὸν, conferat: à sensu literali ad tropos non fugiat: sentiet inuictum harum probationum robur. Verba certe Is. 40. nunquam à Christi Persona auellet; nisi ea, prope singula, ad multiplices tropos, solius fidei suæ analogia impulsus, trahat. Hæc enim eorum claritas est: vt etiam Hebræi Interpretes, ea esse de Messia, agnouerint. Isaiæ 52. v. 5. Christi personam, non vocari Iehouam; probari debuit: non nudè affirmari. An enim, quæcunq; sine vlla licet probatione dixerit D. Ionas, ea velut Diuina oracula excipienda sunt? Nimirum Dominus vota transcendit sua, si, quæ scribit, suis Pythagoricis persuadeat. at Scripturæ conformissimè dicitur: eam ipsissimam Personam loquutam esse verba illa: *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum*: quæ Mat. 23. v. 34. dicebat: *Ecce ego mitto ad vos prophetas.* & infra. *Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.* à quo? procul dubio ab eo qui dicebat: *Ego mitto ad vos Prophetas.* & infrà. *quoties volui congregare Filios tuos, &c. & noluisti.*

15. Verbis illis Mat. 12. v. 32. *Vnus est Deus & non est alius præter ipsũ.*

alijsq;

alijsq; S. Scripturæ locis, quibus verus DEVS dicitur ita vnus, ita solus, vt nullus sit alter, nullus vltra, nullus ei similis, Lectori propositis; eum inuitaui: ad expendendũ: an non manifesti impostores sunt: qui, cùm solis se Scripturis credere clamitent; & eapropter toti se orbi aduersari glorientur; tamen expressissimis Verbi Diuini oraculis munitam veritatem demoliantur: audeantq; veros deos profiteri alijsq; profitendos præscribere; plures illis omnibus, quos tota gentilitas, veros esse deos opinabatur.

Pupugit hoc, Domini Vindicis corculum: ita; vt, quod ego, secluſa omni Verborum duritie, Lectori expendendum proposui: id ille, acerbissimam & iniquissimam appellet inuectiuam. At, nunquid inuehi in aliquem est: cùm Lector inuitatur ad expendendum, quod à me, quodq; à meo aduersario scribitur? Non impostura est; dicere vnum tantùm esse verum Deum præter quem non sit alius: & tamen credere: alijsq; credendos proponere verorum Deorum millione? Non est hoc veritatem, S. Scripturæ oraculis munitam, demoliri; dicere: quòd multi sint Veri dij: cùm ipsa veritas, Ioan: 17. apertissimè docuerit, vnum solùm esse verum Deum?

16. Impudentiam, & blasphemiam non Confessioni, sed Smalcio obieci. Et quidem meritissimò. Ait ille: *Vnum tantùm Deum Summum agnoscere, & vnum tantùm naturâ Deum colere, Vnum tantùm independentem Deum confiteri, est Iudaicum aliquid & abnegatio quodammodo Christianæ Religionis.* Non est hoc blasphemia in vniuersam Christianam Ecclesiam iacta? Num omnes Christiani Imperatores & Reges, (vt omittam, tot Myriades Martyrum & Doctorum;) fidem Christianam abnegarunt: cùm vnum tantùm Deum verum esse crediderunt? Impudentia verò, quæ maior esse potuit; quàm dicere: quòd Scriptura (toties licet disertissimè professa, vnum tantùm esse verum DEVM præter quem nullus sit alius, ac nequidem ei similis;) doceat multos esse, ita veros Deos; vt est ille Summus DEVS?

17. Sed ad D. Vindicem Manium redeamus. Ait is: *Vnum esse verum DEVM*, (vt perissologian contraham;) *dictum ita exochicè vel antonomasticè: eò quòd ei communis alioqui appellatio, propria sit facta, ob excellentiam.* At quomodo hic per illa ipsa, quæ ab eo ex S. Matt. adducta sunt verba, falsi non conuincitur? Verba ab eo adducta docent: DEVM ita esse vnum, vt non sit alius præter ipsum. Si non est alius DEVS vèrus præter ipsum; quomodo verum erit, multos esse Deos veros præter ipsum? Si neq; ei similis vllus Deus; quomodo DEI veri appellatio, communis multis dici potest? qui hîc (ubi neq; similitudo datur) excellentiæ locus? Fuit ab æterno tantæ, quantæ nunc est, excellentiæ, Deus: (nec enim ei, per mundi creationem, aliquid intrinsecæ perfectionis,

acceſſiſſe dici poteſt: niſi dicatur, DEVM eſſe perfectibilem Actum: à quo etiam Ethnicus Philoſophus ſummè ab horruit:) fuit ei ab æterno DEI veri appellatio ita propria, vt nunc eſt: vt ergo, ab æterno, Titulus DEI veri fuit ei proprius, non per fictam à Sociniſtis exochen, ſed per naturam: ita & nunc: falſumq; omnino eſt DEI excellentiam in eo conſiſtere: quòd licet ſint multi, verè & reipſa dij, ille tamen præ cæteris omnibus, proprio quodam iure, & DEI, & veri DEI nomen ſibi vendicet: falſum inquam. Ab æterno enim DEVS fuit tantæ excellentiæ, vt fieri excellentior non potuerit: id enim eius Natura ſibi ſufficientiſſima, faciebat, vt licet, nulla creatura conderetur; DEVS eſſet Subſtantia excellentiſſima: & per naturam tam propriè & verè DEVS; quam per Naturam Humanam, D. Ionas, eſt propriè & verè homo.

18. DEVS Deorum, & DEVS Altiſſimus vocatur: non quòd præter eum vlli alij ſint veri dij, (quod Prophetica Oracula paſſim negant:) ſed quia eſt ſupra omnes illos, quos, homines, Diuino cultu, tanquam veros Deos coluere: etſi tales non eſſent: cùm extra DEVM Iſraelis, DEVS Verus alter, nullus eſſet. Magnam verò, ab eâ ſuper omnes Deos excellentiâ, gloriam in DEVM fluxiſſe, innuunt S. literæ: Exod: 41. v. 12. vbi DEVS ſuam potentiam ſe exhibiturum ſignificat: cùm dicit: *In cunctis dijs Ægypti faciam iudicia: Ego Dominus.* & cum ibidem c. 18. v. 11. loquitur Iethro: *Nunc cognovi: quia magnus Dominus ſuper omnes Deos: eò quòd ſuperbè egerint contra illos:* & cùm Dauid Pſ. 95. v. 4. vocat: DEVM horribilem ſuper omnes Deos: & cùm 1. Reg. c 5. v. 8. agnoſcerent Aſotij, DEI Iſraelis durâ manum, ſupra ſe & ſupra Dagon eorum Deum: & cùm, Danielis 2. v. 47. Nabuchodonoſor, DEVM Iſraelis diceret Deum Deorum: id eſt eorum: quos ipſe tanquam veros Deos, etſi tales non eſſent, venerabatur.

At pergentem D. Ionam proſequamur. *Stetit* (inquit) *DEVS in conſilio Deorum.* Quorum? de Hebræis Iudicibus, & quidem iniquis, Pſaltem locutum conſtat. Eos ergo inter, fuere etiam Reges impij, Iudices iniquiſſimi v. g. Herodes, Pilatus, Annas, Caiphas, eiſq; ſimiles. At nunquid mi D. Iona, hos etiam fuiſſe, veros, dices, Deos? *Non falſorum: inquit: quid enim vero Deo, cum falſis? verorum igitur: nam tertium non datur.* Vtrobique mi Domine falleris. Nam quid prohibet, vt dicatur; verum Deum ſteriſſe in Concilio Deorum falſorum: vt iudicet eos: & puniat? Id ſanè in illo ipſo Pſalmo 81. videre licet. Deinde: tertium non dari, negat Apoſtolus: præter Deos veros, & falſos, aſſignans λεγομενους. At enim vrget. Cùm eos Deus appellat Deos: verenè dixit an falsò? Non falsò: Deus enim mentiri non poteſt. Ergo ſunt veri dij. Præclare!

Repono

Repono ſimile argumentum. Cùm DEVS per Ieremiam, Deos qui non fecerunt cœlum & terram, vocat DEOS; cùm Deos Ægyptios, Chaldæos, Babilonios, Philiſtæos, &c. vocat in S. Scriptura Deos; cùm ipſum Sathanam, per Apoſtolum vocat Deum ſæculi: verenè, id dixit, an falsò? Non falsò: DEVS enim mentiri non poteſt, verè igitur. Ergo gentilium dij, & ipſe Sathanas, ſunt veri dij? vides Domine, quòd tuum argumentum ipſemet ſoluere debeas: niſi malis, ceu mus in pice hærere. Addo: ſi omnes illi, quorum reſpectu Deus Summus vocatur Deus Deorum, & Deus Altiſſimus, ſunt dij veri; quot tandem milliones Deorum verorum numerabitis? dicite aliquando: quot Deos veros eſſe cætus veſter credit? Non pudet, apertiſſimè contradicere S. Scripturæ: quæ non vno aliquo loco, ſed plurimis, diſertiſſimè, docuit: non eſſe alium DEVM præter DEVM Iſraelis? Non pudet, ſolem ipſum clariſſimum lucere negare: cùm legitur illud oraculum Apoſtolicum: *Nullus eſt alter DEVS niſi vnus?* voce Elohim, (cùm DEVM ſignificat: alioqui ſæpiùs poni ſolitâ ad ſignificandos Iudices, vel Angelos, vt è Verſione LXX. Interpretũ, & Epiſtola ad Hebr: manifeſtum eſt) plures perſonas Diuinas, vnius eiuſdemq; numero eſſentiæ ſignificari; tam clarè probauere, Catholici, & Euangelici Theologi: vt Socinus, in Solutione Argumentorum, pro Sanctiſſima TRINITATE facientium, coactus ſit dicere: eâ voce, non Diuinas Perſonas ſed Angelos ſignificari.

19. At enim, dicit Apoſtolus: *Sunt multi dij, & multi Domini.* Ita eſt. at quales? dicat nobis ipſemet Apoſtolus. verinè? non inquit. Nam de eis paulò ante dixi: *Nullus eſt alter Deus niſi vnus.* quales ergo? λεγόμενοι: inquit: id eſt: vt interpretatur S. Irenæus; & S. Ambroſius, nuncupatitij: titulares: ſimilitudinarij. Excute mi Domine Verba Apoſtoli: totiuſq; capitis nexum expende: & tandem doce nos: quonam verbulo, innuerit iſthic Apoſtolus, multos eſſe veros Deos. *Non fuit neceſſe* (ait) *vt dij iſti veri eſſe dicerentur: id enim res ipſa docet.* Quidni? nonnè vos Stentorea voce clamatis: nihil eſſe credendum quod non ſit ſcriptum? deinde: quænam iſta res eſt, quæ id doceat? hactenus eam, præter Politheitas, nemo vſpiam vidit. Præterea, conſtat ex Apoſtolo: præter DEVM verum; qui dicitur non eſſe niſi vnus, dari λεγομένους & falſos. Quo ergo probabitur, multos hoſce Deos, non inter λεγομένους vel falſos, ſed inter veros Deos, Apoſtolum numeraſſe? Verba ſubſequentia, cum particula aduerſatiua, ἀλλ' ἡμῖν &c. *Sed nobis vnus eſt DEVS, &c.* apertiſſimè à Chriſtianorum fide, pluralitatem verorum Deorum excludunt: quaſi diceretur: ſint alijs multi in cœlo & in terra dij: ſed non nobis: quia nobis, *Vnus eſt Deus.* Verba ſolis radijs clariora ſunt: *Nullus eſt alter Deus*

nisi vnus. Et: *Sed nobis, vnus est DEVS, &c.* cui quæso alteri, hæ voces, ἀλλ' ἡμῖν aduersantur; si non illis; *Multi sunt dij, & Domini multi?* Quàm cuperem D. Ionæ, eiusq; ouibus, vt ne tandem vel hiscerent, contra ista tam aperta & tam clara SPIRITVS Sancti Oracula: ne dum veritati ipso sole clariori contradicunt; non veritati, quæ non magis lædi, quàm Sol potest; sed sibi ipsis tandem exitium ferant: cui ne quidem contradicere; (adeo clara est) possent; nisi aut verba Apostolica in sensum Christianæ Ecclesiæ ignotum, & Politheismi inductiuum deflecterent: aut pleraq; temere, sine vlla probatione adducta, pro certis venditarent.

20. Temere & sinè vlla probatione dicit D. Vindex: quòd apud Smalcium, cuius Verba Politheismi extructiua, obieci, per DEVM naturâ, intelligatur DEVS ex seipso. Alium omnino sensum subsequentia eius verba spirant. *Christiani* (inquit) *hoc maximè differunt ab omnibus antiquis veris Dei cultoribus: quòd illi, vnum tantùm naturâ DEVM colebant: Christiani verò, non tantùm vnum naturâ Deum; sed etiam IESVM Nazarenum, naturâ ab illo DEO diuersum, colere tenentur.* Hîc clarissimum est: Smalcium per DEVM naturâ, eum intelligere, qui habeat Diuinam Naturam: quam negat Christo. Vnde contra eum ita argumentor.

Qui diuino cultu colit eũ, qui nõ est naturâ DEVS, ignorat, teste Apost. Deum: Smalcius colit eum qui non est naturâ DEVS. Ergo Smalcius, teste Apostolo, ignorat DEVM. Maior est Apostolica. Minorem probo.

Qui diuino cultu colit eum, qui est naturâ diuersus ab illo, qui est naturâ DEVS; colit eum qui non est natura DEVS. Smalcius diuino cultu colit eum, qui est diuersus naturâ ab illo qui est naturâ DEVS; Ergo Smalcius colit eum, qui non est naturâ DEVS. Ergo ignorat DEVM.

Temere item, pro primo Principio, etsi nunquam probato, id assumit D. Ionas: quòd vox veri DEI, ita communis sit, vt vox DEI: quodq; voces veri DEI ratione excellentiæ vni DEI factæ sint propriæ Nam hoc figmentum elidunt illa SPIRITVS S. Oracula: *Tu es DEVS solus: Nullus est alter DEVS præter vnum: Quis similis tibi Domine? Quis sicut Dominus DEVS noster, &c.* Ampliùs: Clariùs S. Scriptura docet: DEVM verum esse tantùm vnum; quàm vnum solem. Nam nullibi docet, solem ita esse vnum, vt præter eum non sit alius, neq; ei similis: quod, de DEO doceri; sæpiùs inculco. Vt ergo, nemo sani cerebri, dixerit; solem hunc, quem constat esse vnum, exoches vel excellentiæ ratione vocari solem; (cùm exoche, vel antonomasia, non habeat locum nisi inter plures:) ita, vix sani, aut certè pertinacis cerebri, esse, ille debebit:

debebit: qui etsi certissimò sciat; DEVM, ita vnum, in S. Scriptura dici; vt præter eũ non sit alius, nec ei similis; nihilominùs doceat, Deũ Israelis, nonnisi excellentiæ ratione, dici DEVM vnum: Quâ ergo rarione mi Domine Iona, tantâ animi præsumptione, hanc DEI exochen vel excellentiam, clarissimum solem appellare audes: etsi nunquam probaueris, Deos veros esse multos? quod tamen omnino priùs erat probandum: vt comparationi exochicæ, vel antonomasticæ locus esset. *Multos* (inquit) *esse, verè ac reipsa Deos Scriptura docet: & res ipsa clarissimè testatur: & linguæ omnium gentium, Deorum nomen vsurpant.* Mitto quæstionem de re: quam nemo vnquam præter Politheitas vidit. Scripturam exhiberi volo: quæ doceat, multos esse verè & reipsa Deos: vel (vt infra dicitur) multos esse veros Deos: hactenus enim nullam vidimus exhibitam. Fateor gentiles linguas, vsurpare nomen Deorum: vt pote, quibus in cælo & in terra multi dicuntur dij: sed Christiani, non aliud loquuntur, quàm quod Apostolus: *Nullus est alter Deus, nisi vnus.* Et: *Sed nobis vnus est DEVS &c.*

21. Exempla, quæ D. Vindex affert; nihil mouent. Nam, è Sacris literis constat: multos esse Christos: multos Apostolos: multos DEI filios: multos Patres seu Papas: (quanquam Papa, non simpliciter Patrem, sed Patrum Patrem significat: teste Baronio in Notis Martyrologij:) multos Pontifices: *DEVS autem* (ait Apostolus Gal. 3 v. 20.) *vnus est*: atque ita vnus; vt non sit alius præter eũ: nec ei similis: vt sæpè SPIRITVS SANCTI oracula clamant. Exempla item solius sapientis, solius boni &c. non concludunt intentum. Nam, illæ, signatè expressæ, vniuersales exclusiones; *præter quem non sit alius; cui nullus sit similis &c.* nulli horum adijciuntur: vti adijciuntur DEO Israëlis. Nec ideo, DEVS vocatur solus sapiens: solus Potens &c. quia est, omnis Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis fons: vt ait D. Ionas: sed quia, solus est Sapiens sine defectu; solus bonus, solus potens sine defectu: vt pote infinitè talis: cùm tamen eæ perfectiones, in creaturis sint defectuosæ: atq; ideo, his titulis, absolutè & simpliciter denominari non mereantur. Nulla creatura tam Sapiens est: vt non aliquid nesciat: nulla ita potens: vt omnia, quæ velit, facere possit: nulla ita bona: vt non aliqua destituatur perfectione: nulla ita immortalis: vt à DEO annihilari nequeat: nulla ita dominatrix vt nullius subsit dominio: quod faciebat: vt Augustus, Tiberiusq; Imperatores, appellari Domini noluerint: cùm solus ille, propriè & absolutè dici mereatur Dominus; qui illimitatum, & à nullo dependens habet dominium.

22. Dixeram insuper: è Sociniſtarum dogmatibus sequi: plures ab eis credi vero

di veros Deos; quàm crediti sint ab Ethnicis. Resp. D. Vindex: *Ethnicos cum Christianis ratione verorum Deorum, non esse comparandos: cùm illi nullos veros Deos agnouerint.* At hoc nihil est. Nam primò: cur non satis sit, quòd eos, quos coluerunt, pro veris dijs habuerint; vti contra me argumentatur Dæmonographus? Etiam nos negamus esse veros Deos: quibus vos veri DEI nomen, vultis ita conuenire, vt Summo DEO: Num ergo, ob nostram negationem, nullos inter creaturas veros agnoscitis Deos? Deinde: Erant inter gentiles tot millia Regum, Iudicum, Præsidum, Consulum, Prætorum &c. Si ergo veri Dij sunt: qui aliquâ, (vt loquitur Socinus;) potestate funguntur; vsq; adeo, vt dæmonographus, etiam Neronem, Herodem, Pilatum, in numerum verorum Deorum referat; Ergo etiam, inter Gentiles, fuere veri Dij: & tanquam tales agniti & culti sunt: Nabuchodonosor: Herodes Agrippa: Romulus: Augustus: Domitianus, &c. Meritò ergo, Ethnici, cum Arrianis, multos esse veros Deos profitentibus, comparantur: cùm & ipse D. Ionas, allato argumento conuictus; fateatur: veros Deos, à condito mundo, in cælo & in terra fuisse plurimos: etsi, (profectò ἀναπολογήτως) neget Sociniastas esse politheitas: quia *Nobis* (inquit) *plurium Deorum cultus obijci non potest.* At hîc primùm, cædit Smalcium, disertè, loco à me in Anathemate dæmonographi citato, professum: istis creatis & factis dijs, etsi iniustis, & iniquis, diuinos reddi debere honores: cædit & seipsum: non solùm, in Commentario Epistolæ ad Galatas docentem; *pium & necessarium esse: Deo, qui habet Diuinitatem ab illo vno DEO acceptam, seruire: eumq; colere*: sed & hîc, fol. 49. signatè, ceu summè notabile, in margine adnotantem, *Reges, vt Vicarios DEI, esse adorandos.* Hîc ego à D. Iona doceri volo: num Regibus, (alijsque eiusmodi veris dijs) nullum censet reddendum honorem: num aliquem, sed non diuinum: an etsi censet reddendum Diuinum, eum tamen reddere abnuit. Si primum vel secundum; contradicit Apostolo: iubenti reddi honorem, cui honorem: & Christo dicenti: quæ sunt Cæsaris Cæsari: quæ sunt DEI DEO: contradicit suis omnibus, sæpe docentibus; ita vero cuilibet DEO Diuinos deberi honores: vt cuilibet Regi vero Regios: idq; lumine rationis per se notum esse: contradicit, & sibi: proximè citato. Si verò eis Diuinos honores censet esse reddendos; vel eos reddit: Regesque, ceu Dei Vicarios, (immo, iuxta eius fidem, Deos veros;) adorat: vel non. Si reddit; meritò ei plurium verorum Deorum cultus obijcitur: atq; ideo meritissimè Politheita vocatur. Si non reddit; meritò ei obijcitur impietas, vel atheismus: quòd diuinum honorem neget ei; quem credit esse verum DEVM: & quem colere; pium & necessarium esse; atq; adeo quẽ adorari debere; alicubi desertissimè professus est.

23. Quæ de vxoribus, filijsq; horum deorum dixi; non cauillationes sunt:

sed

sed euidentissimæ & necessariæ illationes. Vt enim, vxor Regis Regina; & nati è Regibus filij, Regum filij dicuntur; ita verorum deorum vxores, dici Deas: & filios eorum, verorum deorum filios, omnino necessarium est. Grauem verò S. Scripturæ iniuriam infert D. Vindex: cùm eas consequentias ait S. Scripturæ opponi. Vbi enim ea docuit, Christianis plures esse Deos veros, quàm crediti fuerint ab Ethnicis? Stat contra: immobile Apostoli oraculum: *Nullus est alter Deus nisi vnus.* Vbi itē docuit: Vxores Regum, esse Deas, & filios, esse Deorum filios? Vbi item, eam; quam idem D. adstruit, Diuinorum honorum varietatem expressit?

24. Diuinum honorem, vni illi Deo vero proprium, esse incommunicabilem; DEVS ipse testatus est: per Prophetam professus: se honorem suum alteri non daturum vt ideo, quia eum dedit Filio; euidens sit; quòd Filius non sit DEVS alter. Sed videtur, D. Vindex per illam clausulam (*quoad per rei naturam licuit*) docere: non totum Diuinum honorem, sed solùm eius aliquam particulam, (quam nimirum rei natura pateretur) Christo Domino communicatam esse. Quàm piè; quàm conformiter præcepto DEI PATRIS; volentis Filium ita honorificari, vt honorificatur Pater: viderit ipse.

25. Quæ de S. Ioanne Euangelista scribit; valde probo. Abhorruit (vt video) doctus, & à Sanctorum honore non alienus Theologus, S. Ioannem facere idololatram: (vti fecit Smalc: & nouissimè dæmonographus:) & verissimè docuit: Angelum, veritum esse: honorem sibi à tanto Apostolo & Euangelistâ oblatum suscipere: ne DEVM offenderet: qui Christo, longè supra Angelos euecto, Angelis ipsis ostendit: quo modo se erga Christi seruos, & quidem Apostolos gerere debeant. Optima & pia explicatio: pro quâ; DEO Gratias.

16. Diabolum, eiusq; Angelos, (quos diabolos appellaui: secutus Smalcium, ita eos, in Latino de Christi Diuinitate libro, c. 17. plusquam vicies appellantem) fore etiam Deos; si veri DEI nomen, potestatem, non naturam significet: tribus libellis probaui: & recentissimè edidi libellum: quo dæmonographi alterum de Cacodæmone scriptum obrui: hîc id vnicũ addo: quòd D. Vindex, nulli meorum argumentorum, quibus eam Consequentiam probo, responderit: eo solo contentus, quòd aliquam afferat rationem; cur ea negari possit: quæ facilè euertitur per hoc: quia negare non potest D. Ionas: quòd ipsemet in Commentario Epistolæ ad Hebr. cum Soc. & Smalcio docuit: dæmones, æquè Principatus ac Potestates esse; atq; Angeli boni sunt. Si ergo Angelos bonos, eorum Principatus & Potestas facit veros Deos; cur non & dæmones? Vsurpatio potestatis principis dæmoniorum, supra dæmones, quo probatur? Aliud certè disertissimè docuere Socinus, & Smalcius: vt ex Opusculis iam editis patet.

27. Politheitas, se appellari, immeritò dedignantur Sociniſtæ. Nolint velint: qui omnes, qui aliquâ, (vt ait Socinus) funguntur poteſtate: vel ſaltem, qui omnes, Reges, Iudices, Præſides, Conſules, &c. Deos eſſe veros credunt; idq; toti orbi perſuadere conantur; veriſſimè Politheitæ ſunt: quibus; cùm Apoſtolum adnumerant; blaſphemant: cùm verò Apoſtolum id diſertè docere affirmant; cùm Chriſtum, id ipſum dixiſſe, aiunt; calumniantur: cùm denique aſſerunt; Scripturam, tam multos eſſe veros deos in ſuo ſenſu, aſſerere; quàm vnum aſſerit DEVM; craſsè mentiuntur. Aſſerunt Scripturæ: multos eſſe deos falſos: multos λεγομενους: at ne quidem, vnico loco, multos eſſe veros Deos docent: id quod cùm Sociniſtæ ſciant; & tamen oppoſitum loquantur; non video quomodo à mendacio poſſint excuſari. Denique cùm D. V. fol. 50 dicit: Polytheitam eſſe: *Qui plures Deos, ſiue Summo, ſiue tanquam ſummo ſubordinatos, diuino cultu, quo quamuis inconſpicui, nec vllis ſenſibus expoſiti perpetuâ animorum Religione coluntur, afficiunt*; in ſeipſum fert damnationis ſententiam: vt pote qui, præter DEVM Summum, diuino cultu colat Chriſtum: quem eſſe DEO Summo ſubordinatum, ab eoq; dependentem, credit: qui Reges, fol. 49. docuit adorandos: qui Angelos in vtroq; fœdere fatetur adoratos: veneratione humanâ maiore.

28. Argumenta, quibus me Polytheiſmi conuincere conatur, non concludunt. Non primum: Nam tres Perſonæ vnam numeto habentes Deitatem, vnus Deus ſunt: cùm Deitatis numerus, non à Perſonis, ſed ab Eſſentia ſumi debeat: atque ideo ob vnitatem eſſentiæ, vnus ſit DEVS; etſi, quia, tres eam Perſonæ habeant, ſit trinus in Perſonis. Inſtat D. V. *Hoc verò quid eſt? an Perſona, non eſt tota DEI Eſſentia?* Reſpondeo: Non eſt tota DEI Eſſentia: ſed totius DEI Eſſentiæ: vt Perſona Humana, non eſt tota Eſſentia humana: ſed totius Eſſentiæ Humanæ. Perſona enim non ſignificat per ſe eſſentiam: ſed id, quo ſubſiſtit, vel quo, vltimò in eſſe indiuiduali completur eſſentia: quod facit: vt optimè poſſit extare eſſentia humana, ſine perſonalitate humana; ſi à perſonalitate Diuina ſuſtentetur: & compleatur.

29. Vrget D. V. *Quatenus DEVS trinus eſt, vnus eſſe non poteſt. Ergo quatenus trinus eſt, eatenus, vt plures colitur.* Reſp: eſſe paralogiſmum à dicto ſecundum quid; ad dictum ſimpliciter. Dictum ſecundum quid eſt: Trinus in Perſonis: dictum ſimpliciter Trinus, vel plures. Non ergo plus hæc Conſequentiam valet: quàm illa: Æthiops eſt dentibus albus: Ergo eſt albus. Homo eſt ſecundum animam immortalis: Ergo eſt immortalis. Petrus ſecundum oculos vel crines eſt niger: Ergo eſt niger. &c. Addo: Perſonas Diuinas, non aliter coli, niſi quà terminantes vnam Deitatem: Quia ergo tres Perſonæ, vnus

DEVS.

DEVS sunt; ideo, cùm tres coluntur; colitur vnus Deus: cùm singulæ Personæ, non sint alius & alius Deus: sed vnus & idem Deus. Pergit. *Quælibet Personarum Summus Deus est. Tres ergo Personæ coluntur vt tres dij.* D. Antec. Quælibet Personarum Summus Deus est; eiusdem numero Essentiæ & Deitatis: Concedo: Diuersæ, vel alterius numero; Nego Antec. & Conseq. Iam enim dixi: Solam Essentiæ Deitatisq; pluralitatem, Deos multiplicare posse: atq; ideo, qui tres Personas colit, vnam eandemq; numero habentes Deitatem; colit vnum DEVM: & consequenter nullatenus Polytheita est.

30. Neq; item, Polytheita est: qui Angelos, cultu eis conueniente, (v. g. eo qui eis, & à Prophetis sub V. Lege & à S. Ioanne sub Nouâ, præstitus est,) colit. De verbis latriæ, & duliæ non disputo. Per me licet; sint Synonyma: quãquam D. Vindex, fol 52 videtur latriæ cultum, à Diuino nullatenus distinguere. Vocet eum: quomodo velit: fingat meliorem vocem, quæ exprimat cultum soli Summo DEO debitum; fingat item voces; quibus cultus, Angelis vel Sanctis hominibus, sub vtraq; lege exhibitus, commodiùs exprimatur; lubentes volentes amplectemur.

Quæ contra distinctiones latriæ à dulia prolixè declamat D. Vindex, me nihil afficiunt: vbiq; Professum: DEVM verum me colere, ἀξίως τῦ θεῦ: Angelos verò, & Sanctos, ἀξίως τῶν ἁγίων. Libuit verba, à S. Scriptoribus, huic cultuum discrimini accommodata mutuari. His si D. V. contentus non est; vocet θεοσέβειαν cultum Diuinum: ἁγιοσέβειαν cultum Sanctorum. Si quis solem, astra, plantas, coleret; vti nos Angelos, alioſq; cælites: non coleret eos cultu Diuino: (θεοσέβειας) coleret tamen cultu eis indebito: ideoq; grauissimè peccaret: quia honorem Cælitibus conuenientem, insensibilibus, vel irrationabilibus tribueret creaturis. Denique, tu ipse Domine Iona soluere debes: quæ obijcis. Ais: Angelis, in V. L. à Patriarchis, in Nouâ à S. Ioanne honorẽ maiorem humano tributum esse. Quæro igitur: hic honor, fuitnè religiosus; an non? si fuit; Ergo cultus Religiosus, non solùm ille est, qui illi vero Deo debetur: sed etiam alius; illo tantò minor; quantò DEO minores Angeli. Si nõ? Cur ergo vocatur cultus humano maior? cur eum, metu offensæ DEI à S. Ioanne Euangelista, recipere noluit Angelus? Duplex, ergo, aut triplex, est, Religiosus cultus. Primus est, qui à S. Augustino, alijsq; Sanctis Patribus latriæ est insignitus nomine: sumpto ex illis verbis: Dominum DEVM tuum adorabis: καὶ αὐτῳ μόνῳ λατρεύσεις: quo honorificatur DEVS PATER: & (Euangelio teste) Eius Filius. Hic solus verè dicitur Diuinus. Alter est: qui, vulgò vocatur cultus duliæ: id est: honor Angelis, & Cælitibus debitus: quem ego

ἁγιοσέβειαν voco. Tertius est qui conuenit excellentissimis & Sanctissimis Personis, hyperduliæ nomine significari solitus.

Cultum, verè proprièque Diuinum, alicui creaturæ posse communicari: eamq; ; eo quo DEVS Pater colitur cultu honorari; qui dicit; contradicit DEO diserte professo: se suum honorem alteri non daturum. Glossam Sociniſtarum, de dijs aduersarijs, pridem, sufficienter refutauit Pater Smiglecius. Qui ergo, aliquam personam, quæ non sit DEVS Summus, cultu θεοσεβείας veneratur: eamque honorat, cultu DEO Patri debito, Bideita est: qui item, omnes Reges, Iudices, Magistratus, &c. veros esse deos credit; eosq; tanquam veros Deos vrgente conscientiæ debito, honorat; cultu veris Deis conueniente; Polytheita est. Qui verò Angelos & cælites, solo cultu ἁγιοσέβειας, humano quidem maiore, Diuino tamẽ inferiore veneratur; Polytheita dici nequit. cùm eos, neq; vt Deos veros, quorũ pluralitatem detestatur; agnoscat; sed vt seruos, & amicos DEI; neq; cultu Diuino, sed cultu digno Sanctis, (ἀξίως τῶν ἁγίων vt loquitur Apostolus) veneretur.

Ecce res: non verba.

31. Gentes nullas, maioribus religionibus coluisse deos suos, quàm ego colam Cœlites; (nec enim ego Sanctos defunctos, sed beatos, & in cælis regnantes Spiritus, veneror:) falsum est. Nullum ego Angelorum, beatorumq; Spirituum, DEVM verum appello: nulli victimas offero: nulli supplico, tanquam DEO: sed tanquam DEI amico vel seruo; longè seciùs quam fecerint gentes. Vnde mirari subit: quâ fronte Sociniſtæ dicere audeant; nos cælitibus Diuinos tribuere honores: etsi sciant, eos non aliter à nobis inuocari: nisi vt orent: vt DEVM precentur: vt intercedant, pro nobis. Quis verò, non læsi cerebri, prudenter ei, quem esse DEVM verum censeat, dixerit: Ora pro nobis?

32. *Duorum,* (inquit) *cultus non est Polytheismus.* Ita sanè. Vnde si vos, nullum verum Deum agnosceretis præter DEVM Patrem, & Christum hominem, exaltatum; non diceremus vos Polytheitas: sed Bideitas: at quia palam profitemini: omnes Reges, Iudices, Magistratus, quantũuis impios, esse veros deos: quos etiam docetis esse adorandos; iustissimè Politheitæ diciminor. Neq; valet quidquam allata excusatio. *Non colimus* (inquit) *duos summos Deos. Ergo non colimus duos deos.* Bellissimè! planè; ac si quis videns gygantem & pumilionem, negaret se duos homines videre: aut duos digitos; cùm videret indicem, & auricularem. Nugæ merissimæ sunt: dicere: quòd ad hoc, vt duo dij dicantur; requiratur: vt sint duo, pari significatione. Æquè puer & vir; atq; duo viri sunt duo homines. Mons Vauel atque Carpathus, sunt duo montes: Istula & Rudaua

daua sunt duo fluuij: etsi impari significatione. Exempla quæ D. V. affert; vel falsum assumunt: vel nihil faciunt ad propositum. Catholici fatemur: duo nos habere Ecclesiæ capita; vnum visibile, & Hierarchicum: alterum inuisibile & Mysticum: negamus tamen per hæc, monstrosum effici corpus; vt neq; monstrosa est vxor, quæ præter caput suo collo insertum, habet aliud caput: nempe virum. Iosephi tempore Ægyptus, non duos habuit Reges: sed vnum. Nam Iosephus, non Rex sed Vicerex fuit. An ergo D. Ionas, huic exemplo insistens, Christum vocabit Vicedeum?

33. Clauditur hoc episodion, satis prolixum: graui Christi Domini iniuriâ: cùm dicitur: fol. 55. *Christum, quia Summus Deus non est; absolutè DEVM dici non solere: sed Dominum: vel Christum: vel DEI Filium, &c.*

Prodidit hîc D. V. manifestam Diuinitatis Christi hostilitatem. Meminisse debuerat, saltem locorum: quæ à Sociniſtis admittuntur: Ioan. 1. v. 1. Rom. 9. v. 5. Hebr. 1. v. 8. & 9. Isa. 9. v. 6. quibus citra omnem controuersiam, Christus absolutè dicitur DEVS: vt alia loca, quæ à SS. PP. & Recentioribus Theologis afferuntur, prætream.

At D. Vindex, videtur DEI nomen Christo inuidere: idq; omnino agere: vt DEI nomine exutus, non nisi Domini, vel Christi, nomine appelletur. Quid per ambages imus? Dicat D. Ionas, sine fuco & fallacijs. Creditnè Christum esse verum DEVM? an Dominum tantùm? Si credit esse verum DEVM; cur ei testimonia S. Scripturæ, quibus absolutè vocatur DEVS subtrahit; si negat esse verum DEVM; si eum solùm dicit Dominum; cur negat se hostem esse veræ Diuinitatis Christi? Multùm certè DEI, & Domini nomina, differunt. Quidquid ipse dicat; quantocunq; conatu Diuinitatem Christi demoliatur; semper hæc erit solidissima & liquidissima veritas: Christum eandem numero Deitatem habere cum Patre: ideoq; cum eo, vnum DEVM esse: omnia habentem quæ habeat Pater: omnia cum eo, modo eodem operantem: æqualem Summo DEO, &c. Semper erit falsum: Scripturam, in Christo designando, ab absoluto DEI nomine abstinuisse: de quo, quia Sancti Patres, & Recentiores Theologi multa scripsere; qui etiam verba illa Apostolica; *Nobis vero vnus est DEVS Pater ex quo omnia: & vnus Dominus Noster IESVS Christus, &c.* sufficientissimè explicarunt; pluribus his immorari, superuacaneũ est. Potuisset, & D. Vindex, à suscepto negotio, Diuinitatis Christi Domini, honorisq; cælitum deprimendi, supersedere: & potiùs ad soluenda obiecta, quæ omisit, operam conferre. Obiectum, est Sociniſtis: quòd ex eorum dogmatibus sequitur, Regem vel Monarcham, habentem sibi subiectos, aliquos Reges, Duces, Iudices, Præsides, &c. esse Deum Deorum. Quid ad hoc? nihil.

Obiectum est Smalcio: quòd, is, qui solis se Scripturis credere clamitat, fateatur se credere, & docere, id: quod nullibi docetur in Scriptura: sed potiùs in vtroq; testamento contrarium. Quid ad hoc? nihil.

Exprobraui cum iusta indignatione Smalcio: quòd is dixisset: *Iudaicum aliquid & abnegationem Christianæ Religionis esse, vnum tantùm DEVM independentem confiteri; vnum tantùm naturâ DEVM credere, &c.* Quid ad hæc Dominus? Nihil ad propositum. Verbo vnico refer mi Domine. Estne Iudaicum quid, vnum tantùm naturâ DEVM credere? si est: vti Smalcius loquitur: quid orbi illudis: quasi aliud à Smalcio sentias? quid ei sensum, verbis eius minimè consonum, obtrudis? Si non est; cur non breuiùs dixisti: hunc sensum esse priuatum: ideoq; eum suo Authori relinqui: se emendatum respiscere. Hoc si dixisses; facilè te, multo negotio, cui te præter omnẽ necessitatem iniecisti, expediuisses. DEI nomen, cùm D. Vindex vocat beneficum, nescio quàm sibi suoq; cætui loquatur conformiter. Passim ab eis docetur: nomen DEI esse nomen potestatis: & dæmonographus disertissimè docet, in sermone de DEO, summè respiciendum esse ad Hebræam vocem Elohim, quæ non beneficum, sed Potentem, vel Iudicem significat. Nescio item, quàm conformiter suæ loquatur Conscientiæ. Neq; enim arbitror; ita eam à veritate excidisse: vt existimet; DEVM Israëlis desiisse esse Deum Israëlis; cùm Israëlitarum peccata per crudelissimas gentes puniret: populumq; Israëlitarum, perenni damnasset exilio.

34. Sedentem in throno, & Agnum, esse vnam eandemq; DEI HOMINIS personam, euidentibus S. Scripturæ verbis probaui: quæ, in Anastasi eiusdem Centuriæ, contra impetitiones, cuiusdam Cæsonis, defendo. Dicitur, Agnus ad sedentem in throno accessisse: & ex manu eius librum accepisse: quia Humanitas Christi, Agni nomine significata, omnem Scientiam, habet à Verbo pleno gratiæ, & veritatis: per quod mundum, & omnia facta esse, cùm dicit Apostolus; eo ipso illud, rerum omnium authorem; atque ideo DEVM Summum esse, confessus est.

35. Immensitatem DEI altero repetij loco: quia eandem Consõnis Author repetijt: & tamen neutro loco expressit, Immensitatis Diuinæ modum.

36. Christum reiecisse boni Magistri titulum: probare debuit D. V. non nudè asserere: cùm sciret: quàm longè aliter explicauerint SS. Patres Christi Domini verba: *Quid me dicis Bonum?* Eius cauillationi repono similem. Vel D. Ionas, Christum esse Magistrum bonum credit: vel non: si non; quomodo eius doctrinâ decipi non timet? si credit; dat Christo titulum ab eo reiectum. Vtrius tandem Victoria futura est?

Argumento meo minimè satisfacit. Si enim nemo bonus nisi vnus

DEVS

DEVS; necessariò sequitur, τῷ ρητῷ inhærendo: vt Christus non sit bonus, nisi sit vnus ille Deus. Varietas sensus, probari debuit ex Euangelio; non è cerebro D. Ionæ. Probari item debuit: eum, qui omnia habeat quæ Pater; & operetur eodem modo omnia, quæ & quomodo Pater; per quem mundus, & omnia ita facta sunt, vt sine ipso factum sit nihil; non esse omnis bonitatis primum cum Patre Authorem, & fontem.

Neq; ideo, Filio aliqua perfectio deest; quia non est Pater: vt neque Patri, quia non est Filius: eò quòd hæ perfectiones non sint perfectiones simpliciter: nec compossibiles: nec enim melius est esse Patrem quàm Filium: vtrūq; autem esse est incompossibile. Vt ergo soluat argumentum D. Ionas, probare debet, ita incompossibilem esse Filio Deitatem, quæ est in Patre: & potentiam principiandæ omnis bonitatis, quæ est in eodem: vt est ei incompossibilis Paternitas Patris, à quo, ab æterno generatur. Priuationem, non habere locum nisi in subiecto capace fateor; at Christum esse incapacem, huius bonitatis, quæ est in vno DEO, quo probatur?

TRVTINA VINDICIARVM CAPITIS SECVNDIS.

Patrem Omnipotentem.

Pauciora hîc trutinanda occurrunt.

1. AIt D. V. *Deum illum vnum, sub lege, non solitum vocari Patrem.* At falsò. Vocatus est Pater: Deuter. 32. v. 9., Ps. 78. v. 27., Ps. 102. v. 13., Eccl. 42. v. 5. & 23. v. 4., 2 Reg 7. v. 14., 1 Par. 22. v. 10., Iob 38. v. 28, 34 v. 36., Sap. 14. v. 3. Clarissimè. Is. 63 v. 16. *Tu Iehoua Pater noster.* & 64. v. 8. *Et nunc Domine Pater Noster es tu.* Quid plus in Oratione Dominica dicitur? Sistere hîc possem: vt tamen pateat: quàm sit fallibile D. Ionæ iudicium, de S. Scripturæ locutionibus: addo: Ierem. 3. 4. DEVS loquitur: *Vocame, Pater meus es tu:* & 31. v 9. loquitur idem: *Factus sum Israëli Pater:* Mal. 2. v. 10. *Nunquid non Pater vnus omnium nostrum, &c.* Agnoscat ergo prudens Lector: quàm non facilè fides habenda sit, D. Ionæ, facilè enuncianti.

2. Madonatum ea subinde scribere; quæ ab alijs Theologis meritò reprehenduntur; optimè noui. Hîc tamen, D. Vindici non suffragatur: Nec enim dicit:

dicit: DEVM; non solitum fuisse sub lege vocari Patrem: sed, suo sensu suppresso, refert: aliquos adnotasse: DEVM sub lege, non Patrem sed Dominum vocari voluisse: esto verò Pater vocari solitus fuerit; non tamen tam sæpe, quàm Dominus.

3. Symbolum Apostolicum, & sæpe Apostoli, DEVM; vocant Patrem: respectu Christi; quatenus est Verbum DEVS: per quem condita sæcula: seu quatenus est Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijt: primogenita ante omnem creaturam. Hic enim solus, est Vnigenitus DEI Filius: ante sæcula, (vt fatente Domino Iona, docuere primitiuæ Ecclesiæ Patres:) genitus. cuius respectu DEVS ille vnus, semper fuit Pater: quia nunquam fuit sine eo Filio.

4. Tertullianum de Sanctissima TRINITATE, quædam esse incautiùs, obscuriùsue locutum; pridem adnotarunt Theologi: eiusq; Scholiastæ. Libro contra Hermogenem, (inquit Pamelius) Zelo non secundum scientiam motus; contra Hermogenem: asserentem; materiam esse coæternam DEO; (quod ipsum docuit Moschor:) asseruit: etiam Filium, aliquando non fuisse: vt ita euinceret: multò minùs dicendum: Materiam, esse coæternam DEO. Cæterùm, de coæternitate Filij, seu Sapientiæ genitæ, prolixè tractat: lib. con. Praxeam. c. 5. 6. 7. Meminisse verò debuit D. Ionas: Tertullianum, non esse omnes antiquos Patres: quos tamen, solo Tertulliano citato, ait: longe aliter; quàm nunc credatur, de Filio DEI sensisse. Meis obiectionibus, (quas D. V. pro sua grauitate Censoriâ, argutias Scholasticas, friuolas & inanes vocat;) non satisfit per hoc: quòd denominatio Creatoris, obiectis à me difficultatibns non subiaceat. Nego enim paritatem. Nam denominatio Creatoris, est extrinseca: fluens à transeunte actione, quæ est in passo: non Causæ Efficientis, sed subiecti, vel passi immutatiuâ: denominatio autem Patris proprij, est intrinseca: ideoq; haberi nequit sine mutatione intrinseca generantis, si non sit æterna.

5. Si bene memini; (nam Confessionis exemplar, G. D. Wisowati à me vnâ cum Responso recepit: nec aliud posthac habere potui:) verba Confessionis de Omnipotentia, non inuerti. Errorem, si aliquando comperero; agnoscam.

6. Quæ sequuntur; inuitus refello: nec enim, legi poterunt, sine aliqua æstimationis Domini Ionæ imminutione. Non video: qua hîc ratione, mendacij se aut impostura immunem præstabit Dominus. Dixeram ego in Confessionis Socinianæ refutatione: *Catholici credimus: etiam Filium DEI Christum, esse Patrem ex quo omnia: esse Patrem omnium nostrum:* idq; verbis S. Scripturæ probauerã. Hîc D. Vindex, de me, ceu Ilio capto tryumphat: meq; ad incitas redactum ait. Miseri tryumphi! Raptum est è salice pomum! Teneo calamu m: ne in acerbius etumpat verbum. Quæro humillimè. Mi Domine: dixinè ego

absolu

absolutè: Filium DEI Christum, esse Patrem? absolutè inquam, sine vllo addito, dixi Patrem? dixi alicubi Patrem, quin adiecerim, verba illa, *ex quo omnia?* Exhibe locũ. Dixinè ego, (vti tu scribis;) *Nomine Patris, Catholici credimus: etiam, Filium DEI Christum, intelligi?* adhibe perspicilia: & aliud leges. Verba mea iam stiti: ex eis patet: dixisse me: à Catholicis, Christum intelligi, nomine Patris, non absolutè: (quomodo sumitur in Symbolo Apostolico: relatus ad Vnigenitum Filium:) sed nomine, Patris ex quo omnia: quorum nomine, solos credentes intelligi debere; docure è vestris, Smalc.: & Catechista Racouiensis: vt esse Patrem omnium, non aliud significet: quàm esse Patrem omnium credentium: quod & è subiectis verbis, *& nos in ipsum*, citati Authores colligunt: & probant.

Quis ergo hic, mi Domine non videat, tuam imposturam: dolosamq; verborũ mutilationem? quis non rideat, te cum vmbris, & teipso dimicantem? Pater ex quo omnia, non simpliciter, Patrem Christi significat: sed Conditorem omnium: (vt docent nostri:) vel Patrem omnium credentium: vt docent vestri. Vide ergo Domine: quid attentes. Dicerenè ausis; Christum, non esse Patrem omnium credentium: si credas Apostolo, Abrahamum vocanti omnium credentium Patrem? Adeonè tibi viluit Christus: vt eum Christianorum Patrem dici nolis? Nam si velis; omnia quæ scripsisti, in spongiam incumbere oportebit. Vbi enim fassus fueris, Christum esse omnium Christianorum Patrem: fateri etiam debebis Christum esse Patrem ex quo omnia: & quia dixisti; *Vnum solum verum Deum esse, Patrem ex quo omnia:* fatendum erit: Christum, qui sit, Pater ex quo omnia, esse illum vnum verum DEVM.

Probationes meas, D. V. non euertit. Non soli, ego, voci DEI, sed toti sententiæ, Christum includo: & è Verbis Apostoli infero: Christum esse, vnum illum Deum, Patrem ex quo omnia: & nos in ipsum: verbisq; Apostolicis probo: Christum esse Patrem ex quo omnia: quia *Omnia per ipsum creata sunt: omnia in ipso constant:* esse verò, illum; in quem nos; seu finem nostrum vltimum; per verba: εἰς αὐτον: *in quem omnia.* Varietatem sensuum, quam affert D. Ionas; donec probauerit; nemini, præter suos Pythagoricos, persuadebit. Nam vnde quæso colligit; τὸ εἰς αὐτον, aliter sumi Rom. 11. & 1. Cor. 8. quàm sumatur Col. 1.? Non hic ad τὸ ἐν ἀρχὴ refugiendum erit? Ego Sociniano dogmati immobiliter insisto. Si, per Patrem ex quo omnia, intelligitur Pater omnium credentium; &; si Christus, est Pater omnium credentium; (vt tandem D. Ionas fol. 64. meo impulsus argumento, fatetur;) non nisi absurdissimè, (id est; concessis Præmissis, legitimi argumenti negando Conclusionem;)

 negabi-

negabitur: Christum esse Patrem ex quo omnia. Atque ita, magna molimina, & multa verba D. Ionæ abeunt in risum: cùm cuilibet Theologo pateat; me non locutum, de Patre notionaliter sumpto, & ad Vnigenitum Filium relato: sed de Patre, sumpto denominatiuè; ex quo omnia. Probare me; Christum, esse Patrem; qui in Symboli primo articulo, respectu Filij vnigeniti dicitur; non fuit necesse. Sola mihi Confessionis verba, fuere impugnanda: vel potiùs, in suffragium Catholicæ veritatis assumenda. Huius vox erat: *Vnum solum verum DEVM, esse illum, qui sit Pater ex quo omnia:* hinc euidentissimè deduxi: Christum esse vnum illum verum DEVM: siquidem sit Pater omnium credentium: qui ab Apostolo per Patrem ex quo omnia intelligitur: ipsismet attestantibus Sociniſtarum Archidiaſcalis.

7. De articulo, voci DEI, præfigi solito; si mentem Sociniſtarum non percepi; non mirentur. Vbi enim eam clarè, & integrè explicarunt? Multis argumentis, huius festucæ, quâ sua dogmata fulcire conantur Sociniſtæ, leuitatem, in libro contra eundem D. Ionam, vernaculo idiomate edito; ostendi: nec tamen hîc ab eo quidquam, quo obiecta refellat, audio.

Non dicimus: (ait) *Voci DEI cùm Summum DEVM designat; semper articulum præfigi.* Cur ergo, quòd verbis illis, *Verbum erat DEVS,* non significetur DEVS Summus, eam affertis causam: quòd ibi vocetur sine articulo DEVS?

Pergit: *Vox DEI* (inquit) *subiectiuè posita, tam sine articulo, quàm cum articulo; DEVM Summum designat.* Cùm ergo Dæmonographus, Angelos, & Potestates, (Regum, Iudicum, &c. &c.) ait: in Scriptura vocari Deos subiectiuè; num opinari censendus erit, omnes Angelos, & Potestates humanas, esse Deos summos? Sed de eo, & de hac impietate, quòd maiorem Diuinitatem, Regibus & Iudicibus etiam Neronibus & Pilatis concedat; quàm Christo: Opusculo peculiari, questus sum.

8. Vocem DEI subiectiuè de Christo vsurpari quoties negatis; toties vestram proditis pertinaciam: potiùs in quæcunq; absurda ituri: quàm vniuersæ Ecclesiæ Christianæ sensui, assensum præbituri. Quanquam neq; id vsquam explicastis, cur solus DEVS, subiectiuè dictus, intelligatur DEVS Summus: & nõ item DEVS, sumptus prædicatiuè. Quòd verò dicitur; Vocem DEI, cùm prædicatiuè dicitur de Christo, nunquam ei articulum, excellentiæ vim habentem apponi; dicitur nimis incautè: ne quid durius dicam. Nam cùm Christus Dominus à S. Thoma Ioann. 20 v. 18. vocatur, ὁ θεὸς μου: cùm à S. Paulo, Rom. 9. v. 5. vocatur; ὁ ὢν ἐπι πάντων θεὸς, cùm ab Isaia c. 9. v. 6; vocatur Deus; vel ita vocatur subiectiuè, vel prædicatiuè: si subiectiuè; Ergo fal sum

est:

est: Christum, nuspiam in S. literis vocari DEVM subiectiuè: si prædicatiuè; Ergo falsum est, voci DEI, cùm prædicatiuè dicitur de Christo, nunquam apponi articulum. Dicet fortasse Dominus: non apponi, articulum excellentiæ vim habentem: at quod tandem indicium infallibile est, articuli excellentiæ vim habentis? Nolitis velitis; fateri debetis: tum vos in articulo, excellentiæ vim agnoscere, quando eam vestræ fidei analogia patitur: quando non; non.

9. Sed iam D. Vindex vibrat contra nos Phalaricam, suâ opinione; Demetriana Elepoli horribiliorem. Producit verba illa Euangelij: *De die autem illa nemo scit, neq; Angeli, neq; Filius nisi solus,* (addit D. V. *tantùm*, etsi hoc in Sacro codice non extet:) *Pater.*

Dixi ego: hæc Verba, vbi de Patre Omnipotente sermo est; nihil ad propositum facere: vnitas enim summi DEI, iam capite primo, defensa & probata fuit: neq; cum ea, notitia diei iudicij, ita cohæret: vt Summum DEVM esse oporteat, qui eam sciat. Nam, Christum nunc in cælis diem iudicij nosse; docet Smalc. contra Theses Schopperi fol' 23. qui tamen eum, esse Summum DEVM, negat: atq; ideo nihil hic erat (quidquid D. V. glorietur) quòd me hîc vreret. Immo D. Vindicem, mearum solutionum robur sensisse; indicant impugnationes falsæ; vel temere assumptæ. Quis enim D. Vindici reuelauit, in Christo fuisse, vnam naturam: sed duplicem Formam? quis admittet explicationem Formarum ab eo allatam? Num Apostolos, maiora, ijs quæ in Euangelio leguntur miracula operatos, in Forma DEI, fuisse æquales DEO, dicere audebit? Vbi legit idem; Christum deposuisse DEI Formam? Non per depositionem Formæ DEI, Christum, semetipsum exinaniuisse, dixit Apostolus: sed per assumptionem Formæ serui. Commentarium, quem D. V. citat: doctissimi Theologi, & eruditi S. Scripturæ interpretes, negarunt esse Ambrosij. Non ergo, me, id, quod vult D. V. discere ex Ambrosiastro (ita eum sæpe appellat Lorinus) oportuit: qui, ex genuinis, eius, aliorumq; SS. Patrum Codicibus, didicissem: Apostolum Formarum, nomine, intellexisse Christi Domini naturas: quarum altera DEO æqualis fuerit: altera factus sit homo: non deponendo id quod ante erat; sed se demittendo ad assumendum id, quod ante non erat. Sed iam noui Poliorcætæ machinas videamus. Solutio mea fuit hæc. *De die illa, neq; Filius scit: in Forma serui secundum quod est minor Patre: & minoratus ab Angelis: Transeat: In Forma DEI, secundùm quam est æqualis Patri: & vnum cum Patre Nego &c.* Contra D. Vindex ita arietat. *Immò verò non transeat: dicere enim, Christum in humana natura aliquid nescire; est, eum fuisse DEVM Summum, negare.* At non attigit D. V. meam mentem. Transeat dixi, quod Christum non simplicit-

pliciter negem, in humana natura, diem iudicij sciuisse: sed in certo sensu, alibi explicato: de quo hic agendi, non erat campus. Impugnatio D. Vindicis est infirma. Multa enim Christo in humana natura negantur: quæ tamen non tollunt vnionem Personæ Diuinæ. DEVS est Actus Purus: est Immensus: est prææternus: quorum tamen nihil, Christo in humana natura conuenit: & tamen his non obstantibus, Christus est Persona Diuina: & Summus DEVS: neq; per ea, Christo, in humana natura, negata, altera Christi Forma, seu Natura, (idem enim hæc apud SS. Patres, & S. Scripturæ Interpretes sonant:) tollitur. Rectè ergo dixi: Transeat. Rectè item Distinctione, ex ipso Apostoli gremio desumpta, vtor: *In Forma serui; Transeat: in Forma DEI; Nego.* Neque per id principium peto. Oblitus videtur D. V. quid sit in argumenti solutione principium petere: (si tamen vnquam, à Respondente, suisq; principijs insistente, petitur:) Non est principium petere, respondere per id de quo disputatur; sed per id, quod in argumento negatur. At nunquid in argumento D. Vindicis, vlla est, Formæ DEI, mentio? Aduertit hoc fortasse, D. Ionas: & ideo rursus ita argumentatur: *Si Filius, Summus DEVS fuit; diem iudicij sciuit: Si Filius Formam DEI habuit Summus DEVS fuit: Ergo si Filius Formam DEI habuit; diem iudicij sciuit. Atqui Filius, ipso dicente, nescit: Ergo nec Formam DEI habuit.* Distinguo Maiorem: Si Filius Summus DEVS fuit; diem iudicij in eâ Forma, in quâ Summus Deus fuit, omnimodè & in omni sensu sciuit: Concedo Maiorem: in eâ Formâ in quâ homo fuit, seu in assumpta Forma serui, diem iudicij omnimodè & in omni sensu sciuit: Nego Maiorem: & Concessa minore; Distinguo Consequês. Ergo si Filius, Formam DEI habuit, diem iudicij sciuit; omnimodè & in omni sensu: in Forma DEI, in qua Summus DEVS fuit: Concedo Consequentiam. Sciuit eundem, in Forma serui; omnimodè & in eo sensu, in quo eum sciuit in Forma DEI. Nego Consequentiam: Subiecti Enthymematis, D. Antec. Filius ipso dicente, nescit: omnimodè & in omni sensu, in Forma DEI: Nego Antec. nescit, in Forma serui, in eo sensu, in quo, sciuit in Forma DEI. Concedo Antecedens: sed Nego Consequentiam.

Probandum ergo esset Domino Vindici: Christum, vel secundum id totum quod fuit, diem iudicij nescisse: vel eum etiam in assumpta Forma serui, oportuisse; si Persona Diuina esset; omnimodè, & in eo sensu, in quo eum sciret DEVS PATER, & qui cum eo, in Forma DEI vnum esset, Filius; diem iudicij scire. At vrget: *Vnum idemq; subiectum dicere; & scire aliquid simpliciter, & simpliciter nescire, contradictionem implicat.* Concedo totum: at Nego, à nobis dici: Christum, simpliciter diem iudicij scire: & simpliciter nescire: Dicimus enim: Christum: in Forma DEI, in quâ vnum est cum Patre diem iudicij omni-

cij omnimodè scire: & in Forma serui; scire quidē; sed non omnimoda scientia: id est: tunc non communicabili: quâ tamen sciuit Pater: cùm eam Filio communicauit.

Atq; id ad comprimendam discipulorum curiositatem sufficiebat. Pergit: *Quatenus se sciuisse negat, hactenus nescisse: simpliciter se sciuisse negat. Ergo simpliciter nescisse.* Nego Minorem. Probatur. *Si aliquatenus sciuit, aliquatenus nescisse, cùm simpliciter nescisse dicat; necesse foret: vt aliquatenus verum, aliquatenus falsum diceret.* Respondeo Primò: Probandum esse: quod Christus dixerit: simpliciter se nescire. Iisdem planè terminis, se bonum esse Magistrum, te ipso, mi Domine teste, negat Christus: & tamen, teste, non negat se bonum Magistrum simpliciter: sed in certo sensu. Cùm ergo ibi dicatis, Christum non dixisse; se non esse bonum simpliciter: sed in eo sensu, in quo solus DEVS dicitur bonus; cur & hîc non dicitis, Christum dixisse se nescire diem iudicij, non simpliciter, sed in eo sensu, in quo eum solus sciret Pater. Respondeo Secundò. Negando illatum: tum quia; non continuò aliquis aliquatenus verum, aliquatenus falsum dicit: cùm dicit se aliquatenus scire, aliquatenus nescire: (Rectè enim aliquis Philosophus; dicit se aliquatenus scire aliquatenus nescire; quis enim est, qui ita omnia Philosophica sciat; vt eum nihil omnino lateat? neque tamen dicit aliquatenus verum, aliquatenus falsum: rectè item, omnis homo dicit simpliciter se esse mortalem: etsi sit aliquatenus mortalis, aliquatenus immortalis: cùm diuersitas naturarum inferat oppositorum prædicatorum capacitatem rectè Æthiops dicit se simpliciter, nigrum, etsi aliquatenus sit albus: rectè homo caluus, se caluum, vel glabrum simpliciter dicit; etsi aliquatenus sit crinitus) tum quia; (quod summè notandum est) Verba Christi difficilia, & aliqua certâ & rariori occasione prolata, si alijs pluribus Christi Domini vel Apostolorum verbis claris & disertis opposita videantur; plurium locorum amussi metienda sunt: nec continuò, si non intelligantur, falsitatis arguenda. Ait Christus Dominus: Ioan. 5. v. 31. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Act. c. 8. v. 14. ait: *Si ego testimonium perhibeo de meipso verum est testimonium meum.* Num ergo dicet D. Ionas, Christum aliquatenus verum, aliquatenus falsum loquutum; quod loco vtroq; simpliciter sit loquutus? quid verò dicet; cùm leget Ioan. 7. v. 8. dixisse Christum simpliciter; *Vos ascendite ad diem festum: ego autem non ascendo ad diem festum istum:* & tamen v. 10. dici: *Tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè: sed quasi in occulto.* An & hîc dices Domine Iona, Christum, cùm diceret, **Non ascendo**; aliquatenus locutum verum, aliqua-

tenus

tenus falsum? Certè multò simpliciùs dicitur **non ascendo**; quàm **nescivit**: cùm ea vox in Sacris literis, non vnam habeat significationem. Similiter: aiebat simpliciter Christus se non venisse ministrari sed ministrare: Mat. 20. v. 28. & tamen admisit Angelos sibi ministrantes: Mat. 4. v. 12. admisit socrus Petri ministerium. Mat. 8. v. 15. & Marthæ: Ioan. 12. v. 2. & Magdalenæ: Mat. 26. v. 10. aliarumq; piarum mulierum: Marc. 15. v. 40. deniq; magnum eis, qui ei ministrauerint, præmium pollicetur: & Ioan. 17. v. 11. laudat Apostolos: quòd eum appellauerint Dominum. Num ergo & hîc, Christum aliquis, aliquatenus verum, aliquatenus falsum loquutum, dicet? Non est, tam temere, de Christi, eiusq; Apostolorum Verbis enunciandum: ne postea dicamur, quæ ignoramus blasphemare. His præmissis, facilè effringitur aduersarij phalarica. Nam Christum esse omniscium, (procul omni limitatione) probant illa S. Scripturæ loca: quibus ei dicitur *Pater omnia dedisse in manus*: Ioan. 2. v. 35 & 13. v. 3, *Omnia ei tradita à Patre*: (Mat. 11. v. 27.) *Omne indicium ab eodem ei datum*: (Ioan. 5. v. 22.) quibus dicuntur, *Filij esse omnia quæcunq; habet Pater*: (Ioan. 16. v. 21. & 17. v. 20. quibus etiamnum puer dicitur: *Plenus Sapientiâ*. Luc. 2. v. 41. *Verbum plenum gratiæ & veritatis*. Ioan. 1. v. 14. *Virtus & Sapientia DEI*: 1. Cor. 1. v. 24. *In quo omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI sunt absconditi*: Col. 2. v. 3. quibus dicitur: *Æqualis* (sine vlla limitatione) *DEO*: Ioan. 5. v. 18. Phil. 2. v. 6. quibus deniq; dicitur disertissimè; *omnia scire*, præcisa omni circumscriptione: Ioan. 16. v. 29. 18. v. 4. 21. v. 7.

Cùm ergo, tot SPIRITVS SANCTI oraculis, impellamur, ad credendum: DEI Filium fuisse, & esse omniscium: quærere nos oportet, dicti vnius, quòd tam multis opponitur explicationem: quæ si è distinctione Formarum Christi, ab Apostolo, Phil. 2. descriptarum sumatur; conformissimè Verbis Apostolicis, Christi Domini Verba explicantur.

Neq; dissimulare possum: mirari me satis non posse: quòd Aduersarij, adeo pertinaciter, vnius huius Verbi **nescivit**; vrgeãt τὸ ῥητὸν: cùm alibi passim etiam simplicissimarum loquutionum obtrudant explicationes: duras, inauditas: (vt fatetur Smalcius:) & subinde, (vt de Sanguine DEI Patris, quo sit actuosita Ecclesia) irrationabiles: & absurdas. Quid simplicius, dictis illis: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: Antequam Abraham fieret, ego sum*: quid item simplicius Verbis illis: quibus verus Deus, describitur ita vnus; vt nullus sit alter? & tamen

men hæc, nolunt Domini, ſimpliciter: & vt ſonant, intelligere. Cur ergo tantopere vnius Voculæ, *Neſciuit*, vrgent τὸ ῥητον. In toto Sacro codice, nec vnicum locum habent: quo, alius, à DEO Iſraëlis, dicatur vērus DEVS: habent autem multos, quo ab vno vero DEO, omnes alij excluduntur: & tamen his non obſtantibus, credunt eſſe multos deos: tam verò; quàm eſt DEVS Summus: ne vnicum, item, locum habent: quo legatur: aliqua, illorum omnium, quæ Filio à Patre ſunt tradita, limitatio: & tamen illa pro arbitrio limitant. Quomodo ergo pertinaciæ effugient notam; cùm, etſi Apoſtolos Chriſto, deſertiſſimè loquutos ſciant; *Tu omnia ſcis*; vnius dicti; nonniſi ad cohibendam diſcipulorum curioſitatem prolati, quo eius limitatur Scientia, quærere nolint; ac ne quidem, oblatam, admittere; explicationem?

Neq; neceſſe eſt; Filij nomine, hoc loco intelligi Filium, generatione inenarrabili, à Patre, ante omnia ſæcula genitum. Nam, etiam B. Virgini, Deiparæ, dictum eſt: *Ideoq́, & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Lucæ 1. v. 35. & Filius DEI vocatur, *Factus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem:* Rom. 1. v. 3. Non eſt ergo neceſſe: hoc loco, intelligi Filium; (cùm præſertim non addatur Vocula DEI;) ſecundùm eam Formam, ſecundùm quā eſt Summus DEVS: ſed tantùm in Forma ſerui: quæ ipſa, Angelis fuit veneratione: Heb. 1. v. 4. Lucæ 1. v. 32. & 35. Mat. 4. v. 11. Mar. 1. v. 13. Vt proinde, etiam hîc oratio aſſurgat: ſi eam aſſurgere neceſſe eſt: etſi id Sacris Scriptoribus non eſſe curæ paſſim doceant exempla: v. g. Ioan. 20. v. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* Apoc. 3. v. 5. *Confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* Et paſſim in Epiſtolis Apoſtolicis: *Pax vobis à DEO Patre & Domino IESV Chriſto:* & in Apoc. 1. v. 4. *Pax ab eo qui eſt: & qui erat &c. & à ſeptem Spiritibus &c. &c.* S. Irenæum duas in Chriſto formas non cognouiſſe, nimis falſum eſt: vt patet ex Harmoniâ à me edita. Clariſſimè multis locis docet: DEVM; hominem; Verbum; carnem factum: idq; contra varias hæreſes fortiſſimè tuetur: præſertim lib. 3. & 5. Iuuat, vnicum ſaltem afferre locum. Ait ergo l. 5 c. 18. Mundi factor verè VERBVM DEVS eſt: hic autem eſt Dominus Noſter: qui in Nouiſſimis temporibus homo factus eſt. Loco, à D. Vindice citato, ſolùm docuit, Chriſtum diei Iudicij notitiam ad Patrem referre: vt pote acceptam per generationem: Vt ſapere nos doceret ad ſobrietatem: ne erubeſcamus, arduarum quæſtionum labyrinthos Deo reſeruare. Hanc S. Panis mentem, Scholiaſtes eius Feuardentius colligit: tum ex perpetuâ, eius doctrinâ: tum ex fine: quo citata, à D. Vindice verba protulit: vt ſcilicet comprimeret Gnoſticorum impuden-

pudentem in ſcrutanda æterni Verbi generatione temeritatem. Atq; eum ipſum ſenſum, ipſa verba S. Patris videntur ſuggerere. *Irrationabiliter* (inquit) *inflati, audacter inenarrabilia DEI myſteria, ſcire vos dicitis?* Cur verò irrationabiliter? *Quia & ipſe Dominus, Filius DEI, ipſum iudicij diem conceſſit ſolum ſcire Patrem: manifeſtè dicens: De die autem illa, nemo ſcit: neque Filius, niſi Pater ſolus. Si ergo ſcientiam diei illius, Filius non erubuit referre ad Patrem: ſed dixit quod verum eſt: neq; nos erubeſcamus, quæ ſunt in quæſtionibus maiora, reſeruare DEO. Nemo enim ſuper Magiſtrum eſt. Dimittere oportet tales quæſtiones DEO: vt & Dominus horæ & diei.* Ex his Verbis manifeſtum eſt: S. Iræneum notitiam diei iudicij non negare Filio: ſed tantùm requirere cauſam: quare Filius eam notitiam referat ad Patrem: cuius cauſæ quærendæ nullam habuiſſet rationem: ſi cenſuiſſet; diem iudicij Filio cognitum non fuiſſe.

Nouerat certè, quod ei coæuus S. Iuſtinus Martyr, qu. 58. ad Orthod. docuit: Chriſto ignorantiam tribuere, impium eſſe.

10. Aliud eiuſdem D. Vindicis, ex eiſdem verbis ſumptum, argumentum eſt: *Solus* (tantùm, falsò adijcitur Verbis Chriſti) *Pater diem iudicij ſcit. Ergo ſolus Pater eſt Summus ille DEVS.* Sed hîc quoq; incurret in ſolidiſſimam veritatis Petram. Diſtinguo enim Antecedens: ſolus Pater, (excluſo omni eo, qui non eſt vnum cum Patre:) diem iudicij ſcit: Concedo: Excluſo etiam eo, qui eſt vnum cum Patre. Nego Antecedens: & Conſequentiam. Ridet hanc ſolutionem D. Vindex. Sed immeritò. Tela, quibus me impugnat, iam confracta. Vti Filius non negat ſe bonũ Magiſtrum; cùm dicit: Nemo bonus niſi ſolus DEVS: Vti omni ex parte verum eſt locutus; cùm dixit: Ego non aſcendo ad diem feſtum: aliaq; ſupra allata: ita & hîc omni ex parte verum eſt locutus: cùm dixit diem iudicij à ſolo Patre ſciri: ſe, quâ vnum eſt cum Patre, non excluſo: ſed ſua doctrinâ ad Patrem relata: quemadmodum alibi dixit: *Doctrina mea, non eſt mea: ſed eius qui miſit me, Patris.* Non potuit ſe excludere Filius, niſi ſe, vnum cum Patre eſſe negaret. Verba autem Chriſti, non de vnitate conſenſus, (vti veteres & noui Arriani volunt) ſed de vnitate Eſſentiæ intelligenda eſſe; iam olim antiquiſſimi Patres, ita probauere: vt veterum Arrianorum ora obſtruxerint. Quærere autem, cur Apoſtoli, reſponſo Chriſti, non obiecerint, quæ affert D. Vindex; animi eſt indiſciplinati: & genuinum Gnoſticorum ingenium. Dico breuiter: Apoſtolos dictis Chriſti obſequentiores fuiſſe, quàm ſint Arriani: & contentos ſuæ curioſitatis reiectione altiora non ſcrutatos, Magiſtri verba, ſuæ noluiſſe ſubijcere cenſuræ: ſecùs, quàm faciant Socinianiſtæ: qui omniſcientiam, diſertiſſimè Chriſto ab Apoſtolis attributam, pro libito limitant: magnâ, & Chriſti, & Apoſtolorum iniuriâ. At ego, qui Apoſto-

lis

lis, quàm Arrianis credere malo; sublatissima voce eum eisdem proclamo: Domine: quoniam tu dixisti: quòd *Omnia tibi tradita sunt à Patre: quòd, quæcunq; hàbet Pater mea sunt: Ego & Pater vnum sumus: &c. Tu scis omnia:* & proinde nihil est, quòd te, quâ habentem vnum esse cum Patre, lateat. Atq; ita Arrianorum excussa phalarica. Voce Patris Filium hîc non intelligo; vt neq, alibi intellexi: (quidquid nugetur D. Vindex:) quod dixi; repeto: Christum esse, Patrem ex quo omnia: Sed nego, Personam Filij, esse Personam Patris. Tam enim Sabellianismum, quam Samosatheniſmum vel Arrianismum execror.

TRVTINA VINDICIARVM
CAPITIS TERTII.

Creatorem cæli & terræ.

1. SMalcium sæpiùs (præsertim in Monstris, & de Erroribus) docuisse: posse DEVM velle & præcipere: vt creatura, honoretur tanquam DEVS; negare non potest D. Ionas. Clarissimè, in Examine C. Errorum fol. 10. ait: *Verissimum esse: DEVM posse præcipere, vt quicunque hominum vel Angelorum, pro DEO subordinato colatur:* Cuius propositionis dat rationem fol. 40. *Quia semper nos obligat DEI præceptum, etsi captum nostrum superet: & satius est de teipso dubitare, an rectè rem intelligas: quàm dubitare: an DEO præcipienti sit obtemperandum.* quod cùm reprehendisset P. Smiglecius; respondit in secundo Examine fol. 55. *Posse DEVM præcipere; vt Angelus pro vero DEO habeatur: si verus Deus is habeatur; qui habet veram Diuinitatem, etsi imperfectam, verissimum est.*

2. Creaturam, Creatorem esse; ideoq; & pro Creatore coli posse; cùm me dixisse ait D. Vindex; locum debuit designare; quo id legerit: alioqui reus erit falsi. Credo ego & profiteor, Verbum DEVM, per quem mundum, & omnia facta esse, ab Apostolo didici, nouissimis temporibus hominem factum esse: nego tamen, cum S. Thoma Aquinate, Christum quatenus est homo, dici posse, Creatorem: nisi in propositione, ponatur aliquid, per quod trahatur ad suppositum. v. g. Christus, quatenus est Verbum DEVS, est Creator.

3. Christum, cùm, D. V. negat, iussum esse honorari pro Summo DEO: grauissimum eius honori & S. Scripturæ, infligit vulnus. Nam qui iubetur honorari vt DEVS Pater, iubetur honorari, vt DEVS Summus: vt patet ex terminis. Christus disertissimè in S. literis iubetur honorari vt DEVS Pater. Ergo

iubetur honorari, vt Deus Summus. Quod verò dicit D. V. eum honorari vt Patrem, cùm honoratur pro cæleſti Rege & iudice viuorum & mortuorum; hoc apertè falſum eſt. Nam ſic etiam, alij Reges & Iudices à DEO conſtituti, & Apoſtoli, olim cæleſtes Reges, & Iudices viuorum ac mortuorum futuri, honorarentur, vt DEVS Pater: quod tamen anthropolatria eſſet.
Animos certè & corpora, etiam Arriani, Regibus & Iudicibus ſubmittunt.

4. Cùm Perſona Verbi, naturam humanam aſſumpſit: ſimul eam, in communionem cultus, ſoli Summo Deo debiti extulit: ad quem nulla alia ratione euehi potuit. Neq; enim, vllus homo, ſine mendacio coli potuiſſet tanquam DEVS PATER: ſeu (quod idem eſt) tanquam DEVS Summus: niſi eſſet in communionem Perſonæ Diuinæ aſſumptus. Atque, vt, quantumcunq; quis Diuina virtute ex Virgine naſceretur, & quantumcunq, ei res omnes creatæ ſubijcerentur, & in poteſtatem traderentur, non fieret verus DEVS; donec ei ab aliqua Perſona Diuina, communicaretur Eſſentia ſeu Natura Diuina; ita nec poſſet honorari, vt DEVS Pater: ſeu, vt DEVS Summus. Cætera, quæ affert D. Vindex, nihil contra me faciunt. Iam enim dixi: cultum me Diuinum, eum ſolum agnoſcere, quo honoratur DEVS PATER: ſeu (vti dixi) DEVS Summus. Eum Sociniſtæ vel tribuunt Chriſto; vel negant: ſi negant; nec honorificant Filium, vt Patrem; impij ſunt: negando honorem eum Chriſto; quem ei deberi, in S. Scriptura legunt: ſi tribuunt; anthropolatræ ſunt: honorem Summo DEO debitum, tribuendo ei; quem negant eſſe Summum DEVM: & quem Naturam Diuinam non habere, pertinaciſſimè aſſerunt. At quærit D.V. *quo ego cultu, colam Chriſtum, qua homo eſt.* Reſpondeo. Iam dixi: Diuinam Chriſti Perſonam, colere me, eo cultu, qui præſcriptus eſt: eo, inquam, quo honoratur DEVS PATER. Cum verò, notiſſimum ſit; Perſonam VERBI, ita naturam humanam, ac Diuinam ſuâ complere hypoſtaſi; dubitari non debet: eundem ei, conſideratæ in eſſe cõpleto, ſemper deberi honorẽ. Si verò, per intellectus præciſionẽ, à Maieſtate perſonalitatis Diuinæ, humana eius natura abſtracta cõciperetur; & per opus rationis, è ſtatu exiſtentiæ realis extraheretur; tum colenda eſſet cultu, qui maximus Homini Sanctiſſimo & digniſſimo exhiberi poſſet: qui tamen, cultu Diuino infinitè minor eſſet: nec dici poſſet cultus Diuinus; ſed cultus digniſſimæ & ſanctiſſimæ Creaturæ debitus: qui à Theologis vocatur cultus hyperduliæ: quem ſi D. Ionæ, aliter vocare libet; per me licet: modonè eum vocet cultum Diuinum: quia hic, ille ſolus eſt; quo DEVS Summus colitur. Ita expreſsè docet, S. Damaſcenus, apud S. Thomam, 3. p. q. 25. a. 2. ad 1. Quia tamẽ adoratio, ex cõmuni loquẽdi vſu, exhibetur toti rei ſubſiſtenti: (non enim dicimus, quòd manus hominis honoretur: ſed quòd homo honoretur: & ſi quando dica-

do dicatur honorari manus alicuius; hoc fit ideo: quia in ista parte honoratur totum;) & quia in Christo vna est tantum Persona Diuinæ & Humanæ naturæ: ideo vtraque, vnâ eademq; adoratione (quæ communiter per mille quingentos annos, sine controuersia, latria dicebatur) adoratur.

5. Hyperduliæ & duliæ cultum, cum latreutico tam malè confundit Dominus: quam malè quis confunderet pugionem cum gladio: armigerum cum armato, crepidam cum calceo. Nemo nescit nomina esse ad placitum: & ex impositione hominum: tamq; id quod modo pugio dicitur potuisse vocari gladium; quàm modo dicitur: id, quod est gladius. Vt tamen iam, ineptè quis nomina à toto orbe ita disposita, malè commutaret: ita malè D. Vindex, latriæ nomen, quod per tot sæcula, toti Christianitati solum cultum Summo DEO debitum significabat; eumq; ab omni cultu alio distinguebat, confundit; cum cultu duliæ & hyperduliæ. Falsò item, & sine vlla probatione assumit: omnem religiosum cultum, esse cultum latriæ: in quo suismet verbis erroris conuincitur. Anthropolatras enim, & Angelolatras, à cultu latriæ dici; negare non potest: neque tamen dicere ausit, omnem honorem religiosum exhibitum alicui Prophetæ, vel Angelo, facere Anthropolatram, vel Angelolatram: nisi audeat, eos, qui Apostolos, vel Propheras religiosè venerabantur; ab eisq; excitationes mortuorum, aliaue miracula postulabant; dicere Anthropolatras: & S. Ioannem Euangelistam, appellare Angelolatram.

6. Christi cultores, Anthropolatras aut idololatras non dixi. Vbi enim? Dixi: id, quod docet Smalcius; DEO sine blasphemia tribui non posse: quia secus, esset causa peccati, v. g. anthropolatriæ, vel simpliciter idololatriæ: si (quod eum facere posse asseruit Smalcius:) præciperet aliquem purum hominem v. g. Adamum; vel aliquid inanimatum, v. g. Solem vel lunam; honorari tanquam DEVM. Itaq; dupliciter hîc D. V. peccat. Primò calumniâ: id mihi tribuendo, quod non dixi: & prolixè cum laruis & vmbris depugnando. Secundò conuitio: cum in Margine obijcit mihi, nullâ meâ culpâ, blasphemiam. Bone DEVS! Num ego hîc, vel vnico Verbulo attigi; Christi cultores (etiam Socinistico cultu) anthropolatras, vel idololatras esse? Relege quæso Capitis tertij pauculos versus: & erubesces: quòd innocenti grauissimum affinxeris crimen: contraq; eum, & eius occasione contra honorem Angelorum & Sanctorum magnopere debaccheris.

Impietatem fateor, alibi, me, obijcere eis: qui Christo nolunt eum exhibere honorem: quem exhibent DEO Patri: etsi eum exhiberi debere. ex Euangelio sciant: impostura verò illis, qui dicunt Christum à se honorari cultu Diuino: etsi eum honorare nolint, vt DEVM Patrẽ: immò neq; vt τὸν ἀληθινὸν θεὸν:

sed tantùm vt Regem & Iudicem à DEO constitutum: qui certè, quatenus præcisè talis, nescio vnde probetur, esse verus DEVS.

6. De Cultu Sanctorum iam dixi. Nego à nobis Angelos, alioſue Cælites, alio cultu honorari; quàm quo honorati sunt Angeli, sub V. L. à Patriarchis vel Prophetis; & sub Noua à S. Ioanne Euãgelista: & Sancti Prophetæ & Apostoli, à Fidelibus vtriusq; Testamenti. Integrum hoc eis fuit: ablq; vllo Angelolatriæ vel Anthropolatriæ periculo: Cur ergo idem non liceat nobis: procul omni eorundem criminum discrimine? Honoramus eos non ἀξίως τῦ θεῦ: sed ἀξίως τῶν ἁγίων.

7. Imaginum cultus tot iam libris defensus est: vt iconoclastis silentium imposuerit. Ego vnicum à D. Iona quæro: quod etiam dæmonographo obieci. Signum illud Crucis, quod DEVS ipse Constantino Magno honorandum exhibuit; inq; victoriæ organum obtulit; fuitnè idolum an non? fuitnè tantus ille Christianorum Imperator, idololatra: cùm Summos honores Cruci exhiberet: & templum vnum Romæ à se conditum, sub S. Crucis Titulo, DEO dedicaret? Deinde si imagines sunt idola; & eorum cultus idololatria: quid Dominus V. respondebit Iudæis; vel Dauidianis, vel Scheidelianis, IESVM, esse illum venturum Messiam, negantibus; & hoc obijcientibus, argumentum: Ad cuius aduentum, idola non sunt penitus contrita; hic non est, promissus ille à Prophetis Messias: (siquidem Isaiæ 2. v. 17. dicitur. Eleuabitur Dominus solus in die illa: & idola penitus conterentur.)

Ad IESV aduentum idola non sunt contrita: immo multiplicata: nam si imagines sunt idola; plura nunc sunt, quàm ante fuerint

Ergo IESVS non est ille promissus à Prophetis Messias: Sed hæc hactenus.

8. In fine huius Paragraphi sibimet D. V. contradicit: Nullus: (ait hic) alius est DEVS nisi vnus: qui tamen supra, à fol. 42. ad 57. obnixè contendit: multos esse veros Deos.

9. Multùm me progressum ait: quòd locis quibusdam S. Scripturæ, vocem Creationis vel factionis pro renouatione sumi, non negauerim. Atqui id nunquam antea negaui: quomodo ergo multùm progressus sum? Omnia, ad rem facere, ne nunc quidem, diligenti licet adhibito examine, aduerti.

10. Verbis illis Apoc: 14. v. 7. doceri: solum Creatorem Diuino cultu adorandũ esse; agnosco: & confirmor in hoc, quòd Christus, nisi sit Creator cæli & terræ, non sit cultu Diuino adorandus. Nõ capio enim, vnde id habeat D. V. quòd aliquis voluntate DEI honorari possit vt DEVS; qui non sit DEVS. Creatorẽ cæli & terræ, clarissimè eo loco descriptũ gaudeo: nam, eodẽ; Sermonem esse de Agno, qui mundum est iudicaturus; & de quo, omnia fere præcedentia

verba

verba dicta fuere; ex Contextu capitis desumptis argumentis probaui. Censuram D. Vindicis non moror. Ita facilè omnia soluerimus: si nullius momenti esse dixerimus; quod soluere nequimus. Veriùs ego dixero: leuissimam esse coniecturam, distinctionis Personarum, è distinctione articulorum. Nam verba illa S. Thomæ; Dominus meus, & DEVS meus; & illa S. Pauli, 1. Cor. 1. v. 9. vocati estis in Societatem Filij ipsius, (DEI) Domini Nostri IESV Christi; & illa, 2. Cor. v 3. Benedictus DEVS, Pater Misericordiarum, &c. 1. distinguuntur articulis. Num ergo ibidem, ex eodem principio, infert D. Ionas distinctionem Personarum?

11. In verbis illis, *Dominũ DEVM tuum adorabis, & illi soli seruies*, nemo potest dubitare; nemoq; inficiari; Diuinum cultum ei negandum esse, qui non sit ille Dominus DEVS, his verbis adorari iussus. Latinus interpres voce seruies, cùm eam ad DEVM refert; significat cultum soli illi DEO Vero debitum: cùm ad homines, seruitium humanum. Itaq; is à me est: at contra Socinistas plurimum facit: nam si his verbis, intelligitur religiosa dulia; (vti vult D. Vindex) sequitur; nec latriæ, nec duliæ cultum relinqui vlli Personæ; quæ non sit DEVS ille vnus: ob verba illa; (illi soli seruies.)

12. At exclamat: *Cùm ipse tot alios religiosè adoret; nec se contra hæc præcepta peccare putet; cur nos in Christo religiosè colendo peccare existimat? Quis toleret Gracchos de seditione querentes.* Verùm hoc admodum ἀπρος δόνυσον est. Non ego queror Christum religiosè coli: quem, malo quocunq; modo coli, quàm nullo. Quod queror; quod culpo; quod esse peccatum contra expressum DEI præceptum dico; est: quòd hæc adoratio, & hæc latreusis, quæ in recensitis præceptis soli Summo DEO dicitur tribuenda; tribuatur alicui; qui non sit Summus ille DEVS.

Apertè ergo loquendo: Dicite mi Domini; colitisne Christum, eo ipso cultu: qui in præcepto ad solum DEVM restringitur, an non? Si colitis, & tamen Christũ DEVM esse Summũ negatis; manifestè peccatis: contra hoc præceptum; *Illi soli* (nempe Domino DEO Tuo) *cultu latreutico seruies.*

Si non colitis; cur id apertè nunquã fatemini? cur Christũ, nunc esse verũ DEVM, nunc tantùm Dominum & Iudicem ab illo DEO constitutum, dicitis? Si hoc vnquã apertè fateremini; tunc diceremus vos, non contra hæc præcepta peccare; sed contra aliud Ioan. 5. v. 23. quo præcipitur: vt omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem Itaq; si, eo ipso cultu, qui soli Summo DEO debetur, colitis Christum, quem esse τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν negatis; anthropolatræ estis: si alio; & impij estis, non honorificando Filium sicut Patrem: &

impostores: cùm vos dicitis diuinum immo diuinissimum cultum deferre Christo: cùm tamen is non sit maior eo; quem Fideles sub vtraq; Lege detulere angelis, & Prophetis: (quos in eo actu, Catholici imitantur: non ponentes rumores ante salutem) qui quantocunq; nisu à D. Vindice efferatur; nunquam fiet Diuinus: nunquamq; dicetur θεοσεβεια, sed αγιοσεβεια.

12. *Non colitur,* (ait) *à nobis Christus: vt ille DEVS, cui soli, ceu vltimo religionis scopo seruiendum est.* Habemus ergo reum confitentem: quòd Christum non honoret, vt Patrem: qui vltimus est Religionis scopus: neque vt eum; *in quem, omnia creata esse*; Col. 1. v. 16. *propter quem, & per quem omnia.* Hebr. 2. v. 10. dixit Apostolus.

13. *Cùm Christus* (inquit) *adoratur; (cultu agioseuiæ, nam sublimiorem ei Sociniſtæ negant:) eiq; seruitur; per Christum omnis adoratio, & seruitus transit ad Deum, in eoq; terminatur.* Itanè? Idemne diceretis; si Socinum adoraretis? Quidni? an non honor præstitus ei, quem collapsæ Ecclesiæ restauratorem dicitis, transiret in DEVM?

14. *Qui in Sanctis DEO seruit; cultum eis se Diuinum exhibere non neget.* Immò nego: laudabat Dauid Dominum in Sanctis eius: (vbi Sanctos homines, intelligendos esse, linguarum peritissimi SS. Hieronymus & Augustinus, testantur:) neq; tamen vnquam dixisset: diuinum se cultum eis exhibere: præcepti Diuini memor: *Dominum Deum tuum adorabis: & illi soli seruies.* Nego ergo. Etiam in vno flosculo mente ad DEVM eleuata, eiusq; Sapientiâ, in vnius, v. g. lilij compositione consideratâ, DEVM admiror: laudo: DEO seruio: neq; tamen lilium Diuino cultu honoro. Similiter propter eum, qui dixit; *Qui vos audit me audit;* seruio Præpositis meis: eisq; tanquam DEI vicarijs debitum honorem exhibeo: at honorem Diuinum si eis exhiberem; anthropolatra essem.

15. *Non incuruamus,* (ait) *nos alteri DEO: quia Christus, etsi non est ille Summus DEVS; tamen ob summam Diuinitatis, Maiestatisq; cum eo coniunctionem, & ab eo dependentiam, alter à DEO DEVS non est: sed vnus idemq; cum Summo DEO reputandus est.* Admodum id inconsultè dictum. Vt doleam viro docto id excidisse. Quomodo, mi Domini, non alteri vos DEO incuruatis; si ei vos incuruatis, quem dicitis esse dependentem, cùm DEVS sit independens: non summum DEVM, cum ille sit Summus DEVS: hominem naturâ, cum ille sit DEVS naturâ? hominem exaltatum; cùm ille, iuxta vos nec homo fieri potuerit; nec exaltari. Summa coniunctio, & dependentia à DEO Summo, nunquam facere potest; vt vnus idemque cum Summo DEO reputandus sit

dus sit. Fuit Dauid (iuxta vos) verus Deus: fuit ita coniunctus DEO: vt DEVS ipse, teste Apostolo, Act. 13 v. 22. hoc ei elogium dederit: *Inueni Dauid: virum secundùm cor meum; qui faciat omnes voluntates meas.* De dependentia, (quam etiam Nerones, & Pilati habuere) quid dicam? seruum se DEI passim in Psalmis, & in libris Regum prædicat: Num ergo ideo, mi Domine, Dauid, vel (si ad hoc dependentia à DEO Summo, sufficit) Nero & Pilatus, erunt, pro vno eodemq; cum Summo DEO reputandi? Quid irrationabilius dici potuit? Angeli (iuxta vos) sunt veri dij; quàm ab eo dependentes, scribere me necesse non est; quia scitis: Num ergo omnes Angelos omnes Cælites, omnes beatos, pro vno eodemq; cum Summo DEO reputandos dicere audebitis?

16. Donauit Christo DEVS (Pater) Nomen super omne nomen: id est, celebritatem nominis: subiectis verbis ab Apostolo explicatam: *Vt in nomine IESV, omne genu flectatur.*

17. Quomodo Ioſephi honore, auctus sit honor Pharaonis, & illustratus, non capio: &, vt fuerit; DEVS, qui nullius eget, non habet honoris incrementa. Saddai, seu αὐτάρκης est. Sibi, solus sufficit.

18. Ante Christum, cum DEO, neminem cultum esse, cùm D. V. fol. 81. dicit; & sibi contradicit: superiùs Professo, fol. 48. cultum & adorationem, maiorem humanâ, tributam fuisse sub vtraq; Lege Angelis, & Prophetis: & Scripturæ; passim, in V. Lege adoratos esse Angelos & Prophetas docenti.

19. *Quod Diuina lex, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies; in eo solo sensu intelligenda sit: quòd nobis, proprio arbitratu in Diuini honoris participationem neminem inferre liceat*; Probari debuit: explicariq;: ex quo huius Præcepti verbo, D. Vindex, hunc, tori Christianæ Ecclesiæ ignotum, & inauditum sensum, exsculpere potuerit?

20. Honor ille, qui Christo, naturâ homini, ob solam potestatem à DEO acceptam, quatenus tali, exhiberetur; non esset Diuinus: multo minùs diuinissimus. Implicat in adiecto: colere aliquem cultu diuinissimo; & tamen eum, negare esse illum verum DEVM. Diuinus cultus, gradus; nullibi extra cætum Sociniſtarum, habet: qui non alius est apud orthodoxos; quàm honorificari honore illo ipso, quo honorificatur DEVS PATER: qui est DEVS Summus.

Atq; ita, D. V. etsi susè, de vi ac sensu Primi Præcepti Diuini disseruerit; facere non potuit: quin maneat reus, vel impietatis; si Christum non colit eo ipso cultu quo Patrem: vel impostura; si se, colere eum dicat, cultu diuino: per quem tamen, non intelligat eum; quo colitur DEVS Summus: vel anthropolatriæ;

polattiæ: si eo cultu, quo colitur DEVS Summus; colit eum; quem dicit, non esse alium naturâ, quam hominem.

21. Qui Christum, naturâ non alium quam hominem, etsi exaltatum, (diuinissimus enim quomodo dici potest, qui non sit DEVS Summus?) præcepto primo territi, diuino cultu afficere noluerunt; ex mala hypothesi, rectam Conclusionem intulerunt. Meminerant: reddenda esse: quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt DEI DEO: quomodo ergo eum, Diuino cultu, seu vt DEVM verum colerent, quem negarent esse DEVM verum?

22. Quid aliqui, extra nos fecerint, vel senserint; nihil ad nos. Sumus illi: qui confitemur, tres Personas, Patrem, VERBVM, & Spiritum S. esse vnũ DEVM verum: idque è Sacris literis colligimus: & in Sanctis Patribus, etiam Primitiuæ Ecclesiæ disertè legimus: vt ex Harmonia à me editâ constat. Per hoc autem: quòd duas naturas, in vnâ VERBI personâ subsistentes, omnes sentiunt Orthodoxi; non verus Christi cultus: (vt D. V. sine vlla probatione asserit:) sed Samosathenianus, Nestorianus, Eutychianus, elisus est.

23. Qui homines sint; quibus Christus non placuerit; idq; ideo; quòd non ab ipsis, sed à DEO Diuinitatem accepit; pandere debuit D. Vindex. Nos certè non sumus: quibus Christus ita placet; vt eum, non Vicarium DEI, (vt fuit Ioseph Pharaonis,) non vt factitium & dependentem DEVM censeamus; sed vnum eundemq; cum Patre DEVM: qui à DEO, non per donationem, sed per generationem, Diuinitatem, seu Essentiam Diuinam acceperit.

24. Sanctorum defunctorum animas supplicibus ambimus votis: & præcipuè Sanctissimam Deiparam: vt orent pro nobis: tanquam amici DEI: non dubij; eorum orationes æquè nobis profuturas, atq; Iudæis profuere, Orationes Samuelis, Hieremiæ, Moysis. Eorum cultum, Dominus Ionas, (clamet licet; & mare cælo confundat;) nunquam euehet in Diuinum. Nunquam supra agiosciuiam assurget.

25. Multos deos veros esse, non ideo negamus: ne Christum hominem; etsi (vt aiunt Socinistæ) DEVS non sit Summus; DEVM fuisse & esse fateri cogeremur: sed quia à SPIRITV SANCTO disertissimis verbis edocti sumus plurimis locis: DEVM vnum, ita esse verum: vt præter eum nullus sit alter: ac ne quidem ei similis: vt ideò verè Polytheitæ dicantur; qui disertissima SPIRITVS S. Oracula insuper habentes; asserere audent: multas esse myriades Deorum tam verorum: quàm verus est Summus DEVS.

26. Verba Smalcij, quia non potuit tueri D. V. Lectorem ad totum contextum remisit: Bene habet. Eat: videat studiosus veritatis Lector: experi-

etur: ideo D. Vindicem ab eis referendis, vel tuendis supersedisse; quia defendi non potuere. Si ego truncata Smalcij, verba attuli; Cur ea non suppleuit? cur me truncationis non conuicit? Præceptum de vno solo DEO colendo, si Euangelicum est; omnino, ita, vt sub V. Lege, (etsi id negauerit Smalcius:) seruandũ est. Glossa autẽ, quam D. Vindex obtrudit; ex quo ei Euangelista innotuit?

27. Diabolus, siue Summi DEI honorem, (pro eo, quo ab initio, fuit fastu;) sibi à Christo exhiberi expetijt: siue hoc Minorem; meritò à Christo Domino reiectus est: (de quo fusiùs cum Dæmonographo discepto:) vt pote qui ne ciuili quidem, immò nec rusticano honore dignus sit: etsi à Dæmonographo; secundum illud, quod per creationem à DEO accepit, vocetur verus Deus.

28. Coram aliquo venerationis causâ procumbere; (nisi aliquid sublimius accedat;) non est pars Diuini honoris. Procumbunt coram suo Duce Moschi: coram Rege Persæ: coram Imperatore Turcæ: immò & Christiani coram suis Regibus: nec tamen eos cultu Diuino colunt. Ne Ethnicis quidem, tam parui habitus cultus Diuinus est: vt censuerint Diuinum cultum esse; si quis, coram aliquo, venerõnis causa prociderit. Etiam boni Filij cùm ab offensis parentibus veniam precantur; & boni serui ab offensis Dominis; coram eis procidunt: quos tamen cultu Diuino non colunt. Cultum illum, quo aliquis honoratur, ob Diuinam, & omni humanâ maiorem potestatem, esse Diuiniorem illo, quem S. Ioannes Angelo exhibuit; quo probauerit Dominus? An honor præstitus Salomoni ob sapientiam humanâ maiorem; Samsoni ob robur; Augusto Cæsari ob potestatem; fuit eô diuinior? Vnde de hoc?

29. Non est Diuinus cultus (multò minùs diuinissus) cùm quis animum & corpus prosternit alicui, cælesti Opitulatori: mentiũq; humanarũ notitiã habenti. Et corpus, & animam, Daniel prostrauit Angelo: vt cælesti opitulatori: mentiumq; humanarum notitiam habenti: nec tamen eum cultu Diuino coluit.

30. Dices: *non honorauit eum vt æternum Opitulatorem:* Quid inde? Etiã Christum, æternum esse opitulatorem, negauit Smalcius. Audi mi Domine loquentem: libro de Error: fol. 312. *Memorem esse alicuius, est ei beneficium conferre. Iam cùm Christus, in solio suo collocabit fideles suos; & illi vnâ cum illo regnabunt; ita; vt,* (addit id, fol. 43.) *tunc Christo, suo modo, non sint futuri subiecti; neque Christus super illos regnaturus sit; quomodo illis beneficium ampliùs conferre, poterit?* Idem dicit in Examine C. Err. fol. 87. *Quia beneficium nemini Christus post perfectam salutem exhibebit, &c. quis non videt, Christum nullius memorem futurum?* Si ita est; si post diem iudicij Christus nemini beneficium conferre poterit; quomodo potest æternus opitulator dici?

31. Magnos verò, te, mi Domine ludos facis: cùm, vt supra, deos multiplicabas,

cabas, ita hic cultus Diuinos triplicas: quorum vnus sit Diuinus: alter Diuinior: tertius Diuinissimus: idq; ita, sine vlla probatione refers; at si essent Oracula Apostolica. Illudis vero hominibus: cùm ais, Christum semper quidem fuisse cultu Diuino cultum, (etsi non esset DEVS) diuinissimo tamen non nisi post ascensionem: post eam coli quidem cultu diuinissimo; sed tamen, non eo, quo colitur DEVS Summus. Quid quæso est, tramas putridas, vel curculiunculos minutos fabulari; si hoc non est? Quomodo credere possum, Christum cultu diuino, vel diuinissimo coli ab eis; qui ei etiam DEI nomen, quod Herodi & Pilato tribuunt; concedendum negant: contenduntque, non DEVM sed Dominum esse appellandum?

32. Christum à Magis non esse adoratum, vt futurum Regem, (quod D V. vult) sed vt Natum Regem; verba eorum testantur. *Vbi est* (aiunt) *qui natus est Rex?* Ecce natum Regem, non futurum quærunt. Qualem vero! cælestem: quia addunt: *Vidimus stellam eius in Oriente: & venimus adorare eum:* illum nempe, in cuius, etiamnum in præsepio iacentis, Dominio; stellæ erant: quibus, etiam in cunis dominabatur. Fuissent verò anthropolatræ Magio, si Christum, vt Regem, aliquando futurum adorassent: & si in eius, quem DEVM esse negarent, Dominio; stellas esse crederent. Pleriq; Sociniſtæ, futuros se cælestes Reges non dubitant: quibus tamen, si quis vt futuris Regibus diuinum cultum exhiberet; anthropolatra esset.

Cæcus item ille, si Christum diuino cultu adoraret: quem negaret esse verum DEVM; anthropolatra esset: & quisquis Diuino cultu colit eum: quem nouit non esse DEVM: primum præceptum de vno colendo DEO præuaricatur.

33. Quinam sint; qui aliquam cælestem virtutem aut potestatem habeant; quam ipsis DEVS non concesserit, penitus ignoro: nec capio: quid Author hisce verbis petat.

TRVTINA CAPITIS QVARTI.

Et in IESVM Christum.

1. NEgo: Sociniſtas magis credere in IESVM; quàm ego credam. Ego eum cum primùm natus est, credo fuisse IESVM: id est, Saluatorem: id edoctus ab Angelo Lucæ 2. v. 11. profato: *Natus est vobis Saluator.* Vobis verò quando cæpit esse IESVS? quando Saluator? Num quando natus est? Minimè. Num quando, duodennis in templo, Diuinæ suæ Sapientiæ specimen dabat:

dabat: seq; in his quæ Patris eius essent, oportere esse, aiebat? Ne tum quidem. Num quando passus? Neq; tunc. Audiamus de hoc; cætus olim Racouiani Episcopum. Is in Examine 157. Errorum fol. 7. ait. *Christum infantem, Saluatorem non fuisse; verissimum esse; hinc constat: quòd vox hæc relata sit. Quamdiu ergo Christus nihil fecit, quod ad salutem nostram procurandam spectaret; Saluator quidem dici potuit: quia scilicet certò futurus erat; reipsa tamen Seruator non fuit.* Libro de DEI Filio fol. 88. ait. *Credimus eum esse Saluatorem qui potestatem habet, vt per media certa salutem hominibus afferat: at eum qui potestate istâ non vtitur; negamus esse Saluatorem reipsa: sed prædestinatione tantùm.* Quærimus ergo an saltem potestatem seruandi nos habuerit Christus. Respondet in Monstris: fol. 189. *Non nisi post resurrectionem, eam, illum esse consecutum.* Ergo ante Resurrectionem, nec potestate, nec vsu fuerit Saluator? Ita omnino: cùm ante eam neminem saluauerit: ac ne quidem saluare potuerit: vt ait idem, ibidem in Monstris. Pergamus vlterius Estnè IESVS saltem post suam exaltationem reipsa Saluator? Ne id quidem, idem Episcopus concedere videtur. Dixit enim supra: quòd qui potestate saluandi non vtitur; non sit Saluator reipsa: sed prædestinatione tantùm. Quod autem, non nisi post consummationem mundi Christus sit ea potestate vsurus; sæpiùs docet. Vnum è pluribus affero locum. Ait libro de Err. fol. 202. *Credimus IESVM Christum qui viam salutis nobis annunciauit, confirmauit, & ostendit; ipsam salutem etiam sibi fidentibus, tandem, id est in die iudicij,* addit l. de Filio. fol. 187. *reipsa daturum.* addit ibidem: *Christum nostræ salutis; Causam Efficientem, non esse principalem:* (disertè contra Apostolum: qui Hebr. 2. v. 10. vocat eum ἀρχηγὸν salutis:) *sed solum instrumentalem:* qua ratione etiam Ministros Sociniſticos esse Saluatores; docet idem Episcopus: lib. de Filio fol. 244. & 228. & libro de Err. fol 39. *Tam verè* (inquit) *seruat is qui alios docet; quàm Christus.*

En habes Domine Iona, tui olim Episcopi, de IESV sententiam. Ex ea decerne: egone, an vester cætus, magis in IESVM credat.

2. Iam quæro: creditisnè IESVM esse Christum? Ita opinor. Quando verò vestra opinione cœpit esse Christus? Nunqnid tunc Christus fuit: cùm ab Angelo Lucæ secundo diceretur; *qui est Christus Dominus?* Non. ait Smalcius. Verba eius sunt. l. de Filio fol. 78. *Scriptura, non innuit, sed exprimit, IESVM, priùs non fuisse Christum reipsâ, & Dominum; quàm cùm munus suum obire; immò quàm regnare perfectè, in cælo & in terra cœpit: adeò vt post resurrectionem demum, Dominum, & Christum, eum factum esse, testetur.* IESVS ergo (opinione Smalcij) non fuit Christus: nec cùm generaretur, & diceretur Christus: Mat. 1. v. 1. & 16. & 18. nec cùm ab Angelo denunciabatur natus Christus. Luc. 2. v. 11. Errarunt il-

li: qui IESVM ante resurrectionem professi sunt fuisse Christum: vt Petrus: Mat. 16. v. 16. & Ioan. 6. v. 70. Andreas: Ioan. 1. v. 41. Martha: Ioan. 1. v. 27. Quid multis? IESVS ipse, cùm Sacramento rogatus à Caipha, essetne Christus, Filius DEI benedicti: cùm (inquam) dixit, Ego sum: errauitne? an aliquid grauius, quod dicere, blasphemum esset?

Ecce vestra mi Domine Iona, in IESVM Christum fides. Dicet aliquis: Smalcij fides non est totius nostri cætus fides. At quis me certum reddet; quæ tandem sit vestra fides? cur potiùs credam, fidem quam D. Ionas profitetur, esse totius vestri cætus; quàm illam, quæ à vestro olim Episcopo pluribus est libris explicata?

3. Age porro Domine. Credisnè mecum, IESVM, esse, Verbum DEVM, per quem Mundus & omnia facta sint? credisnè eum esse VERBVM carnem factum? credisnè cum S. Thoma, eum non tantùm Dominum, sed & DEVM tuum esse? Si credis; iam non Socinista, sed Catholicus es: Si non; magis ergo ego in IESVM credo: quia in eum credo, non solùm vt est descriptus homo; sed & prout est descriptus DEVS: qui (vti loquitur S. Ignatius:) quâ Verbum, genitus ante sæcula ex Patre: quâ homo, genitus virtute SPIRITVS SANCTI ex Virgine: sutq; habeat, quâ homo, ab vtero Virgineo principium: quâ verò DEVS, à solo Patre habeat principium; non durationis, sed originis æternæ. Ita DEVS, in quem ego credo, non est ab Apostolis silentio inuolutus: sed à S. Ioanne graphicè descriptus, & ab eius discipulo S. Ignatio. IESVS verò quem D. Vindex mente sua concepit; nihil habet sublimius supra eum; quam Mahometh in Alcorano descripsit.

IESVM à Prophetis prædictum, ab Apostolis prædicatum, esse Deum exercituum; seu Iehouam, & Deum magnum, citatis S. Scripturæ locis probaui: an aliqua erroneè de IESV allegauerim; mox videbo: quæ corruptè citauerim; non indicauit D. Ionas. Meritò ergo calumniator audiet.

Isaiæ testimonia alibi defendo fusiùs: hîc breuiter.

5. Isaiæ 9. v. 6. prædictum esse: IESVM etiamnum paruulum vocatum iri DEVM; probant communiter interpretes: præsertim Cornelius: qui à c. 7. vsq; ad medium nonum, de paruulo Emmanuele agi docet: & è contextu S. Scripturæ conuincit. Adducit idem pro eodem sensu Sanctos Patres: præsertim S. Aug. qui Serm 27. de Tempore ita loquitur. *Magnus DEVS Angelorum, paruus fit in die hominum: conditor solis conditus sub sole: mundum implens, in præsepio iacens: sydera regens, vbera lambens: ita magnus in forma DEI, breuis in Forma serui: vt nec istâ breuitate magnitudo illa minueretur, nec illâ magnitudine ista breuitas præmaretur.* Sed vt, authoritates SS. Patrum, & S. Scripturæ interpretum deessent; suffice-

sufficeret authoritas Apostolica: Euangelistarum Aquilæ Ioannis: qui Verbum, (etiam tum dum Caro fieret) appellauit DEVM. Patet ergo vocem illam vocabitur; (æquè ac cap. 7. vocabis, vel vocabunt eum Emmanuel;) non adultam Christi ætatem, sed futurum Messiæ aduentum; eiusq; Natiuitatis diem respicere. Quanquam hoc ipsum quod concedit D. Vindex, eum in die nouissimo arguet læsæ Christi Domini Diuinitatis: eò quòd licet sciuerit, à Propheta prædictum, Christum vocatum iri DEVM: saltem in ætate adulta: tamen ille fol. 15. dicat: *Christus quia Summus DEVS non est, absolutè DEVS dici non solet, sed Dominus, &c.* Et fol. 56. *Scriptura, ab absoluto DEI nomine, in Christo designando abstinuit.* Et fol. 65. *Dicimus absolutam vocem DEI, cùm subiectiuè ponitur, nunquam de Christo vsurpari.* Et Fol. 74. *Christus, non est iussus honorari pro Summo DEO.* (errauit nimirum Ioannes: testatus; Christum, iussum honorari, vt DEVM PATREM) *sed pro cælesti Rege, & Iudice viuorum & mortuorum constituto.*

Videat hîc D. Ionas: an credat in IESVM à Prophetis prædictum.

6. Isaiæ 53. v. 4. significari percussum DEVM; per illa verba, mucke, elochim, Vmeune, non solùm Cornelius, Pintus, alijq; interpretes, Hebreæ linguæ peritissimi agnouere: sed etiam ipsimet Hebræi: qui his verbis conuicti Christo manus dederunt: vt ibidem, ex Andrea Payua refert Cornel.

7 Is. 53. v. 4. Christi Personam intelligi: vocarique DEVM ipsum; non solùm S. Scripturæ interpretes, sed & Antiquissimi Sancti Patres agnouere: quibus dum, nescio quem Musculum opponit D. Vindex; doctis se hominibus ridendum propinat. Ego ei, pro meo sensu oppono; non solos Catholicos & Euangelicos S. Scripturæ Interpretes: sed Primitiuæ Ecclesiæ Patres: S. Irenæum l. 3. c. 22. S. Cyprianum l. 2do contra Iudæos, c. 7. S. Athanasium lib de Humanitate Verbi, S. Hieron. & S. Cyrillum hîc: S Augustinum l. de 5. hæresib. c. 6. Puto D. Ionam, tantos Patres, nec sibi, nec Musculo posthabituros: à quibus discere poterit: DEVM ipsum venire dici: non solùm cùm id quod vult, sua virtute efficit: sed etiam, cùm fit caro: vt ideo Christus, de se, id; propriè & principaliter dictum; docuerit: Matth. 11. v. 5. Atq; vt eâdem operâ aliorum quoque Isaiæ locorum, defensionem expediam: Is. 48. v. 16. verba illa; *Et nunc Dominus DEVS exercituum misit me & Spiritus eius*, non esse Prophetæ, sed Christi; præter Interpretes; docent SS. PP. Hieron. Cyrill. Athan. Basil. Origen. Aug. Chrysost. Nissen: quorum authoritati si suum sensum submitteret D. Ionas, meliùs suæ saluti consuleret. Deponat modo præiudicium opinionis: velit cum toto Christiano orbe, tres Diuinas Personas in vno DEO agnoscere; facillimè intelliget; quomodo Dominus exercituum mi-

tere potuerit Dominum Exercituum. Sola illi, trium Personarum Diuinarum negatio, oculos claudit: ne videat, quod totus mundus videt.

8. Sensum D. Ionæ de Emmanuele; improbat Maldon. in Mat. c. 1. v. 23. *Non probo* (inquit) *sententiam quorundam: qui spiritualiter tantùm interpretantur DEVM esse nobiscum. Melius Chrysost. & alij Patres, ipsam Filij DEI Incarnationem declarari putant. Est enim DEVS nobiscum: non solùm quomodo cum antiquis Iudæis erat: sed quia VERBVM Caro factum est:* Ioan. 1. v. 14. *quiâ in terris visus est, & cum hominibus conuersatus.* Baruch. 3. v. 38. *quia communicauit carni & sanguini,* Heb. 2. v. 14. Idem alij Euangeliorum interpretes loquuntur: quos vt, D. Vindicis sensui posthabeam, nullam habeo rationem.

9. Verba à me Zachariæ, corruptè citari; probare debuit D. Vindex. Sciebat: à P. Smiglecio; Socino obiectam huius loci corruptelam: adiectione vocis (quòd): atq; ita constrictum, vt diceret: *oportere in Scripturis intelligendis iudicio & prudentia potiùs, quàm regulis Grammaticalibus vti: & diligenter aduertere ad quem quodq; referatur: non tam ex ipso verborum sono, quàm ex Verborum sententia. & propterea sæpiùs,* (Nota bene Domine, quantus Scripturæ corruptor fuerit, tuus Apostolus:) *vel verbum vnum, vel plura subaudire: vel etiam, VERBIS IPSIS ALIQVAM VIM, facere.* Sciebat ibidem omnia solui, quæ is è Socino desumpta obijcit. Cur ergo ea non impugnauit? aut cur non potiùs, veritari cedens cum totâ Christianâ Ecclesiâ profitetur; Dominum exercituum mitti, à Domino exercituum?

10. Verba Apostolica, nequidquã mihi, conatur eripere D. Ionas: 1. Tim. 1. v. 1. Dominum IESVM Christum, à DEO seruatore nostro, articulo interposito manifestè seiungi; manifestè falsum est. Plura reuidi Exemplaria: in nullo hanc articuli, interpositionem vidi. Verba hæc integra, non pauci tribuunt Christo: eô, quòd nusquam legitur, DEVM PATREM, Apostolatum commisisse Paulo: vti legitur; fecisse id Christum: Act. 22. v. 21. & 23. v. 11. Pulchrè Theodoretus hîc: *Deo coniunxit Christum Dominum, ostendens honoris æqualitatem: Deum autem salutem, & Christum spem vocauit: non nomina diuidens, sed vtrumq; in vtroq; intelligens. Nam vtrumq; posuit Dauid in vnâ personâ:* Psal. 64. *Exaudi nos DEVS Saluator noster: spes omnium finium terræ.*

Tit. 2. v. 13. verba illa; *Magni DEI & Saluatoris nostri IESV Christi:* esse de Christo: docent expresè SS. Hieron. Chrysost. Oecumen quos omnes alij S. Scripturæ Interpretes sequuntur: idq; probant: tum ex intentione verborum Apostoli & contextu: tum quòd inter magnum DEVM & Saluatorem, articuli repetitio non ponitur: tum quia, illustris hic aduentus, de quo Apostolus in

lus in præsentiâ loquitur; non nisi Christo conueniat: non enim Pater, sed Filius cum magna luce & Maiestate venturus est ad iudicium: nimirum (vt Euangelistæ loquuntur) *in regno suo:* Mat. 16. v. 28. *in sede Maiestatis suæ:* Mat. 19. v. 28. *in gloria seu Maiestate sua:* Mat. 25. v. 31. *cum virtute multa & Maiestate.* Mat. 24. v. 30. Accedit: quòd hunc ipsum aduentum, verbis expressissimis, Christo tribuunt Apostoli. Mat. 24. v. 3. & 27. 37. 39. Multò sæpiùs Paulus: vt: 1. Cor. 1. v. 8., 15. v. 23. 1 Thess. 3. v. 13., 4. v. 14., 2. Thes. 2. v. 8., 1. Tim. 6. v. 74. Quis ergo dubitet etiam Titi. 2. v. 13. per aduentum gloriæ magni DEI, intelligi aduentum Christi? quando nimirum *Veniet in nubibus cæli cum virtute & gloria multa:* Mat. 24. v. 30. *gloria* (inquam) *suâ:* Mat: 25. v. 31. *& sedebit super thronum gloriæ suæ:* Math. 19. v. 28. Audis hæc D. Iona? aperi ergo oculos: & tuimet iudex esto: an in illa die timendum tibi non sit: quòd negaueris; Christum esse illum magnum DEVM, cuius gloriæ apparitionem, Christiani omnes expectamus: an item timendum tibi non sit; quod nusquam, per DEVM Saluatorem, velis intelligi Christum. Expende dum licet, an non, per DEVM Saluatorem, ex sensu Apostolico, sit omnino intelligendus ille; quem Angelus dixit: vocandum esse IESVM: quia *ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum:* Mat. 1. v. 21. qui vix natus, denunciatus est voce Angelica, Saluator: Lucæ 2. v. 11. quem Samaritani agnouerunt esse verè Saluatorem mundi: Ioan: 4. v. 42. qui toties appellatus est *Salutare DEI:* qui ab ipso Paulo verbis expressis, & subinde cum articulo vocatur *Saluator,* vt 2. Tim. 1. v. 10. Tit. 1. v. 4. & 3. v. 6. quod ipsum faciunt; S. Ioan. primæ 4. v. 14. & S. Petrus: secundæ P. 1. v. 7. & 2. v. 20. vbi vocatur *Dominus & Saluator:* quod ipsum repetit: 3. v. 18.

11. Verba quoque S. Petri, tum loco citato à D. Ionâ; tum secundæ Petri 1. v. 1. de Christo esse; docuere: præter SS. Patres; Epistolarum harum interpretes: idque probat Cornelius ex eo: tum quia, verba Græca, vno nectuntur articulo: tum quia, Dominus, qui nos emit, est Christus: & notissimum est; redemptionem nostram Christo appropriari: etsi eam quoq; gloriam, conatur ei eripere D. Vindex: tum deniq; quia Simoniani, & Ebionitæ, contra quos vtraq; pugnat Epistola, non negabant DEVM Patrem, esse Dominatorem vniuersi: sed negabant, (vt & Nicolaitæ, & Theodotiani) Christum esse DEVM Summum. Verba item, eiusdem S. Petri, secundæ, 1. v. 1. ad Christum, qui sit DEVS & Saluator Noster; referri debere, (teste P. Cornelio, Lorino, Arriâ, Feuardentio, &c.) colligitur ex Græco textu, qui vtrumq; vno articulo comprehendit.

12. Quòd

12. Quòd dicitur; *Soli DEO Patri conuenire Titulum Saluatorũ; primâ & Principe ratione;* manifestè repugnat Apostolicæ doctrinæ: tum locis supra citatis: tum ad Hebr. 2. vbi Christus expressè vocatur nostræ salutis ἀρχηγὸς. Sed pertinacibus, nulla veritas ita clara; vt non eam respuant. Meritò, vt hictibi Domine IESV compati debeam. quòd tua Diuinitas tanto conatu à Sociniſtis impugnetur. Sistimus eis, disertissima Apostolica verba; quibus diceris, DEVS & Saluator noster: non curant: & quamuis, in citatis Epistolis, DEVM Patrem, Saluatorem vocari, non legant: te autem ita vocari legant multoties; nihil pensi habent. Producimus verba, vbi sub eodem articulo diceris; DEVS & Dominus noster: (vti præter loca citata, legimus: 1. Tim. 5. v. 22.) & proficimus nihil. Nimirum contra eos; tuam Summam, & æqualẽ Paternæ, Diuinitatem tuemur: qui oculos sibi excidere mallent; quàm te, alicubi DEVM subiectiuè dici; legere: & profiteri te esse, τὸν μονον ἀληθινὸν θεὸν. Quid clarius, verbis ex Epistola ad Titum citatis? & tamen isthic, quæsitæ, in sole meridiano tenebræ. Quid aliud eis precer; quam quòd eorum anteceſſoribus æquè ac illi, resistentibus veritati, precatus est Apostolus: 2. Tim. 2. v. 25. *DEVS det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem: vt resipiscant à diaboli laqueis: à quo captiui tenentur, ad ipsius voluntatem.*

13. Iesu nomen, esse nomen proprium, & personæ; Christi vero titulum, esse, communem, & significare officium; notissimum est: multisq; locis à Tertulliano indicatum. Quia ergo D V. nihil de Christi Persona egit; meritò ei objicitur: quòd nihil egerit de IESV: sed tantùm de Christo: eoq; tum primùm facto: cùm dexterâ DEI in cælis exaltatus est. Esto ergo idipsum dicat de IESV, quòd dicat de Christo: plurima tamen subticuit: quæ conueniunt IESV: antequam, eius opinione, fieret Christus.

14. Veris Christianis IESVM, non esse creditum Summum DEVM; quâ fronte mi Domine dicere potuisti? Num tu, à veris Christianis, omnia regna Christiana, omnes Imperatores, Reges, Principes, ciuitates, omnes Episcopos, & Doctores, gentiliumq; ad fidem Christianam reductores, excludere ausis? Numquid, Donatistarũ exemplo; Christi hæreditatem, & veros Christianos, in exilem Poloniæ, Transyluaniæq; angulum, contrahere velis: Quanquam quid mirum te omnia Christiana regna verorum Christianorum numero expungere; qui ausus sis dicere, etiam SS. Patres, qui, immediatè succeſſere Apostolis, ab Apostolicæ veritatis tramite deflexisse?

15. Apostolus, eum; qui credit IESVM esse Christum; dicit, esse ex DEO natum: si cætera adsint: alioqui, si quis neget, Patrem Domini Nostri IESV,

esse

esse Summum DEVM: quantumuis IESVM credat esse Christum; nemo dicet, esse ex DEO natum. Atq; inde manifestè falsum est; nihil de IESV maius & sublimius credi posse: quàm si credatur eum esse Christum: quod tamen etiam Mahometanos credere, ex eorum Alcorano constat. In nomine IESV flecti debere omne genu, scriptum est: non item in nomine Christi.

16. Christum, à nemine Apostolorum creditum esse Summum DEVM, falsum est. Credidit S. Ioannes, vnum esse tantùm verum DEVM: credidit Paulus, nullum esse alterum DEVM præter vnum: & tamen, & ille; clarissimè professus est VERBVM, esse DEVM, factorem mundi: & omnium quæ in ipso sunt: æqualem DEO: omnia quæcunque habet Pater habentem: omnia quæcunq; facit Pater operantem: quem S. Thomas, eodem teste, suum esse Dominum & DEVM agnouerit: & hic; eundem professus est: esse DEVM super omnia benedictum; æqualem DEO Patri: DEVM & Saluatorem nostrum. Magnum DEVM: per quem, & in quem omnia condita sint &c. &c. A nemine verò eorum SS. Patrum, qui per aliquot sæcula, Apostolos secuti sunt, creditum esse; quòd Christus sit Summus DEVS; non potuit D. V. sine mendacio dicere. Neq; enim dubito, codices eorum, ab eo fuisse lectos: in quibus, oppositum legi; in Harmoniâ euidenter ostensum est.

17. Tenere me nequeo: quin eorum, aliqua saltem loca, D. Vindici in faciem regeram: quô eius oculos, obiectum testimoniorum iubar verberet: eumq; in vnica periodo, frequentati mendacij conuincat.

18. S. Ignatius in Epistola ad Philadelph. ait: *Si quis DEVM vnum prædicat legis & Prophetarum; Christum verò negat esse DEVM; mendax est: quemadmodum & Pater eius Diabolus. Si quis verò dicat; vnum esse DEVM, & confiteatur Christum IESVM; sed eum nudum esse hominem putet; non autem DEVM vnigenitum: Sapientiam & Verbū DEI: sed solâ illum animâ & corpore constare censeat;* (audite Socinistæ latam in vestram fidem sententiam) *huiusmodi serpens est: fraudem & errorem prædicans in exitium hominum.* In Epistola ad Tharsenses, non contra eos; qui Filium, esse Summum DEVM, credebant, disputat: sed contra eos; qui Personam Filij dicebant ingenitam: eamq; cum Personâ Patris confundebant: vti patet ex Epistolâ ad Trallianos, & ad Phillipen. immò, etiam ex ipsius, ad Thars. Epistolæ Græco textu: Vbi ita legitur: *Quod autem ipse non sit super omnia DEVS & Pater: sed Filius &c* vbi manifestum est, eos solos impugnari: qui docebant: Christum esse DEVM Patrem.

19 S. Irenæus frequentissimè vsus illâ distinctione; quâ DEVS: quâ homo; manifestissimè duas in Christo naturas, agnoscit: eumq; sæpiùs, DEVM in Scripturis appellatum, refert. Lib. 3. c. 6. hæc habet. *Cum Pater sit verè Dominus;*

minus; & Filius verè sit Dominus; meritò SPIRITVS Sanctus, Domini appellatione, (Psal. 109.) *signauit eos. Similiter* (Psal. 44.) *vtrosq; DEI appellatione significauit Spiritus;* Et eum qui vngitur Filium: & eum qui vngit Patrem. Et itetum, *Deus stetit in Synagoga deorum; in medio autem deos discernit? de Patre & Filio: & de his qui adoptionem perceperunt, dicit: hi autem sunt Ecclesia: hæc enim est Synagoga DEI: quam DEVS, id est Filius; ipse, per semetipsum collegit.* (Hinc discat D. Ionas: quis ille fuerit; qui Ecclesiam proprio, sanguine acquisiuit:) *De quo iterum dicit: DEVS deorum Dominus locutus est: & vocauit terrã. Quis DEVS? de quo dixit: DEVS manifestè veniet: DEVS noster, & non silebit:* Hoc est Filius: *qui secundum manifestationem hominibus aduenit: qui dicit: Palam apparui his, qui me non quærunt, &c.* Lib. 5. c. 18. ita loquitur. *Verè, mundi factor, Verbum DEI est: hic autem est Dominus noster, qui in nouissimis temporibus, homo factus est.*

20. S. Iustinus, tam disertè Sanctissimæ TRINITATIS dogma, in Expositione Fidei explicauit: vt ei nihil addi possit. In libris quoq; contra Iudæos, & Gentiles editis: docet: Christum, esse: *Illum ipsum Deum Israelis: qui ab Abraham est adoratus: qui, cum Iacobo, Moyse, alijsq; Prophetis est collocutus: fuisse Verbum DEI, seu τὸν λογν, per quod omnia condita sunt, ante omnes creaturas genitum: quod Sapientia à Salomone vocatur: ab alijs aliquando DEVS, aliquando Filius: quem in creatione hominis allocutus sit DEVS Pater: Faciamus hominem: etsi ea verba deprauare, & ad vnam Personam trahere conentur Iudæi.*

Plura videri possunt in Harmonia. Tertullianum non moror: quia in hac materia varius fuit: videatur: lib. contra Praxeam: c. 12.

21. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pæd. c. 5. ait. *Quoniam Scriptura, pueros & infantes vocat Agnos; DEVM; qui est Verbum, qui propter nos homo factus est; Ioannes vocauit Agnum DEI.*

22. Origenes Homilia 1. è diuersis, in 1. c. Mat. ita scribit: *Mater,* inquit, Euangelista, *eius. Cuius eius? Mater DEI vnigeniti, Domini & Regis omnium, plasmatoris & Creatoris cunctorum. Illius, qui in excelsis sine Matre: in terrâ est sine Patre. Ipsius qui in cælis secundũ Deitatem in sinu est Patris: in terris secundùm corporis susceptionem, in sinu est Matris.* Et infra. *Virgo Sancta genuit DEVM: & intacta permansit. Virgo genuit & Virgo permansit. Quare? quia non homo iste tantùm, qui videbatur: sed vnigenitus erat DEVS: qui in carne venerat. Integer, & indiuisus Deus, in humano genitus est corpore: quiq; Deus & Dominus; figuram serui accepit.* Et infra. *Quid dubitas Ioseph? DEVS est, qui generatur: Virgo quæ generat.* Et infra. *Duo præclara significantur per hoc verbum: Ipse enim saluum faciet populum*

suum

ſuum à peccatis eorum: Quòd & DEVS fuerit & Dominus, ante Incarnationem Chriſtus: & quòd populus eius ab ipſo ſaluandus, iam tunc annunciabatur. Homil. 2. in Ioan. ita ſcribit. *Ioannes pluſquam homo erat: quando & ſeipſum, & omnia quæ ſunt ſuperauit: & ineffabili ſapientiæ virtute ſubuectus, in ſuperiora ſecreta vnius eſſentiæ, in tribus hypoſtaſibus, & trium hypoſtaſeon in vna eſſentia ingreſſus eſt.* Et ibidem. *Petrus, Chriſtum Deum, & hominem iam factum, agnoſcens, dixit: Tu es Chriſtus Filius DEI viui: at Ioannes altiùs euolauit: qui eundem Chriſtum, Deum de DEO ante omnia tempora genitum, intellexit: dicens: In principio erat VERBVM, &c. &c.* Idem in c. 9. Epiſtolæ ad Rom. ita ſcribit. *Miror quomodo quidam,* (nempe Samoſatheniſtæ) *legentes, illa Apoſtoli verba; Vnus DEVS, Pater ex quo omnia, & vnus Dominus IESVS Chriſtus per quem omnia: negent filium DEI, DEVM dici debere: ne duos deos dicere videantur. Sed quid de hoc loco Apoſtoli, faciant, vbi dicitur Deus ſuper omnia benedictus?* Non aduertunt, qui hæc ita ſentiunt: quòd ſicut Dominum IESVM Chriſtum, non ita vnum eſſe Dominum dixit; vt ex hoc, DEVS Pater, non dicatur Dominus: ita & DEVM Patrem, non dixit ita eſſe vnum Deum, vt Deus, Filius non credatur. *Vera enim eſt Scriptura, quæ dicit: Scitote: quoniam Dominus, ipſe eſt Deus. Vnus autẽ vterq; eſt Deus: quia non eſt aliud Filio initium Diuinitatis, quàm Pater: ſed ipſius vnius Paterni fontis (ſicut Sapientia dicit) purißima emanatio eſt Filius. Eſt ergo Chriſtus DEVS ſuper omnia.*

23. Concilium Nicænum: cùm Chriſtum dixit Deum de DEO, conſubſtantialem Patri; & perſonas diſtinxit: contra Sabellium: & vnitatem Eſſentiæ Diuinæ in vtraq; Perſona agnouit: contra Arrium: nec enim per verbum conſubſtantialis; coniunctionem ſubſtantiæ intelligere potuere illi: qui contra Arrium, vnitatem ſubſtantiæ Diuinæ, Verbo DEO negantem, pugnabant: cùm Arrius, coniunctionem ſubſtantiæ Diuinæ Verbo non negaret. Iuſtinianus vocem conſubſtantialis, in eo ſenſu, ſumere non potuit, in primo membro; in quo eam ſumpſit in ſecundo. Nam cùm ſciret; Subſtantiam Diuinam eſſe vnam numero, & impartibilem; optimè nouerat, non poſſe Filium dici conſubſtantialem Patri, ſecundùm Diuinitatem; niſi eam ipſiſſimam haberet; quam haberet Pater. Quia verò humana ſubſtantia, non eſt vna numero, ſed vna ſpecie; ideo, conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem; non eſt neceſſe; habere ſubſtantiam à cuiuslibet hominis ſubſtantia, numero indiſtinctam.

24. Alexander Alexandriæ Epiſcopus, (quem primùm controuerſiam cum Arrio mouiſſe, falſum eſt: cùm eam, ante eum mouerit S. Petrus Martyr Alexandrinus Epiſcopus.) in prima Epiſtola ait: *Quomodo Eſſentiâ, Patri diſpar & diſſimi-*

dißimilis Filius; cùm sit perfecta imago, & splendor Patris? cùmq; ipse dicat; qui me vidit; vidit & Patrem? Aut quomodo si Verbum & Sapientia sit DEI Filius, erat tempus aliquando, cum non esset? Nam perinde est, ac si dicerent: DEVM aliquando, & Verbo, & Sapientiâ caruisse. Secundæ Epistolæ verba, libro contra Dæmonographum, edito; defendi: solùm ibi, hoc Arrianorum soluitur dilemma.

25. *Vel Christus est ingenitus: vel creatus: quia inter hæc non datur medium. Non est ingenitus: secus essent duo ingenita: quod est omnino falsum.* *Ergo est creatus.* Respondet Alexander: negando Maiorem: & assignando, inter ingenitum & creatum, medium: nempe naturam vnigenitam. Hoc apertè indicat verba eius. *Asserunt, nos,* (inquit) *duo ingenita tradere; & dicunt, necesse esse alterum ex his duobus statuere: vel eum ex nihilo creatum; vel omnino duo esse ingenita: ignorantes, quantum interfit, inter ingenitum Patrem, & res ab eo, ex nihilo conditas: inter quæ, medio se modo habens,* (ὧν μεσιτεύουσα φήσις μονογενὴς) *natura vnigenita,* (aliqui vertunt, vnigeniti) *per quam omnia ex nihilo fecit Pater, DEI Verbi: quæ ex ipso, qui Pater est, genita fuit.* Nihil ergo hîc D. V. lucratur.

26. At quod Eusebium, vel item S. Hilarium allegat; nequeo satis mirari. Quia quid mirum, si ei Eusebius faueat; quem virulentum fuisse Arrianum, nemo nescit? hunc verò: quia singulis prope folijs, doctissimè & eloquentissimè in libris de TRINITATE, probat: Christum, esse vnum eundemq; cum Patre DEVM: eiusdem, non dissimilis, non differentis naturæ &c. eo solo à Patre differentem: quòd Pater ingenitus; Filius, genitus sit. En aliqua ex eo describo loca. Lib. 2. Edit. Sonnij, Parisien. fol. 10. ait. *Est Filius, ab eo qui Pater est: Vnigenitus ab ingenito: alius ab alio, quia Pater & Filius: non natura Diuinitatis alia & alia; quia ambo vnum.* Lib. 3 fol. 16. *Cum dicitur, Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM Christum. sub hac significatione, mittentis & missi, non Patris & Filij veritas & Diuinitas, sub aliqua, significationis, aut dilationis diuersitate discernitur: sed ad gignentis & geniti Confessionem, fides Religionis instruitur.* Lib. 5. fol. 29. ait: *Missi & mittentis significatio, non aliud quàm Patrem, & Filium docet: cæterùm veritatem non adimit, naturæ: neq; in Filio perimit natiuæ Diuinitatis proprietatem: cùm nemo ambigat, naturam authoris, in Filij natiuitate connasci.* Deniq; (nec enim iuuat omnia describere) l. 7. fol. 53. ait. *Apostolica fides, siue Patrem prædicabit; prædicabit Deum vnum: seu Filium confitebitur, confitebitur DEVM vnum: quia, eadem & indissimilis DEI natura sit in vtroque: quòd dum & Pater DEVS, & Filius Deus est: & vnũ sit naturæ nomen vnũ vtrisque; vnum vtrumq; significat.*

27. Hæc quæ è SS. Patribus attuli; vel D. V. legit; vel non. Si non; quâ fronte,

fronte, quâ fide, eos, Catholico dogmati finxit aduersari? si legit; ipsemet iudicet: decueritnè virum nobilem, cætusq; illius, qui sibi maximum veritatis studium arrogat; primatem; tam feracem mendaciorum scribere periodum; vt in ea, fere quot verba; tot legantur mendacia.

Verba Confessionis, sufficienter meis instantijs refutata sunt: ostensumq; dignitatem Christi, (si ea nihil aliud, quàm Prophetam, Sacerdotem, Euangelistam, Regem significet;) multis fuisse communem. Nec obstat: quòd Christus eis longè excellentior sit: sufficit enim: quòd in eodem ordine ponantur cum Christo, Sacerdotes; Reges, Prophetæ, Euangelistæ: quodq; nomen Christi, non aliam, sed tantùm, in eodem ordine altiorem, significet excellentiam.

Quæ de aliquo Angelo, v. g. Michaële dico: ex S. Dionysio Areopagita sumpsi: qui in Hierarchia cælesti, docet: Beatos spiritus, quosdam alijs superiores esse: & tandem veniri ad eum: qui eorum primus sit: soliq; subsit Deo. Scio omnes Angelicos Principatus, Christo esse subiectos: at ante Christum è SS. Virgine natum, non fuisse eos, cælestes Reges, & neminem eorum fuisse inter eos Summum; soli DEO subiectum; quo probaueris? Certè hoc est: è cælis Ordinem proscribere: atq; eô chaos quoddam inducere.

28. Quomodo DEVS Pater, Christo se per Spiritum S. inseruerit; & Christum sibi; inintelligibile mysterium est: præsertim in Sententiâ Sociniſtarum, quam de Spiritu S. habent. Debuit ergo D. Vindex, hoc arcanum enucleatiùs aperire: ne censeatur odisse lucem: & tenebras amare.

29. Quæ de Sociniſtica, illorum verborum, VERBVM CARO FACTVM EST; peruersione, questus sum, etiamnum queror. Quid enim aliud, Socinum impulit: ad immutanda verba, à toto orbe Christiano, omnibusque Sanctis Patribus, etiam primitiuæ Ecclesiæ, sine vlla controuersia, per tot sæcula, constantissimè retenta: versionemque, per tot sæcula inauditam confingendam; quàm hostile odium Incarnationis VERBI; quam omnes Sancti Patres, præsertim S. Ignatius, S. Irenæus, S. Dionysius, Apostolici discipuli, fortissimè contra Hæreticos, Sociniſtarum atauos, defenderunt? Nunquid SS. Patres Græcæ linguæ notitiâ, Socino vel Camerario, fuere inferiores?

Ridiculus verò est D. Vindex; cùm ait, sententiam nostram de VERBO, validiùs oppugnari; si dicatur, *Verbam caro factum est*: quàm si dicatur; Verbum caro fuit: quia non protinus id factum est; quod fuit: quasi nesciuerit: nos per hæc verba, probare; Verbum, factum esse hominem, vel carnem: ex quo, non sequitur Verbum factum esse. Nam etiam DEVS Israëlis, factus est adiutor Dauidis: ex quo tamen stultè quis inferret, DEVM Israëlis, esse factum.

30. Conuitiari, me, cum D. V. ait; viderit: ne ipse conuitietur. Iustam indignationem, in meum libellum effudi: idq; videtur ipsemet D. V. agnouisse: ideo suppressis Smalcij verbis, alieno ea condiuit embammate. Sed nihil agitur. Iterum ea in lucem profero. Iudicet æquus Lector: an non iustam habuerim indignationis causam. Ita is, Hom: 8. fol. 89. loquitur. *Etsi non semel, & iterum, sed satis crebrò & apertissimè*, (Nota mi Lector Verborum emphasim) *scriptum esset; DEVM esse hominem factum; multò satiùs esset (quia hæc res sit absurda, & in DEVM blasphema) modum aliquem dicendi comminisci, quo ista de DEO dici possint; quàm ista simpliciter, vt verba sonant, intelligere.* Ita Smalcius. Hîc ego mi Domine capere non possum: quæ tibi mentem, eripuit Nemesis. Dixeras fol. 40. te, nullius, tuorum, Scriptoris, sensus & interpretationes Scripturarum, pro Oraculis habere: & si quis durius quid scripserit; quod menti Sacræ Scripturæ minùs sit congruum, suis authoribus relinquere: questus es: aliena, Confessioni, crimina obijci; adiecerasque, in nullius te Magistri verba iurasse, præterquam Christi: hunc solum, & vnicum esse; cuius dicta deserere, censeas nefas: at hîc euidentissimè videmus oppositum. Nunquid enim Christus est; qui dixerit, DEVM fieri hominem, esse rem, absurdam, sanæ rationi contrariam, & in DEVM blasphemam? vbi quæso, hoc tam atrox dictum, in omnibus Verbi Diuini legisti monimentis? Nunquid, te in Smalcij verba iurasse, non prodis manifestissimè; cùm absurdissimum, immo atheisticum dictum illius, tueris? Quomodo Smalcij sensus pro Oraculo non habes, quomodo eos ad Oracula Diuina reuocas; qui eius sensum, eum etiam, defendis, quo is propalam confitetur, se verba S. Scripturæ, quibus doceretur, DEVM, factum esse hominem; vti sonant, intelligere nolle: etsi ea, id; satis crebrò & apertissimè loquerentur? Num hoc est, suo Authori relinquere dicta, S. Scripturæ minùs congrua; tueri eum; qui, frequentia & apertissima, de aliquo Fidei dogmate, S Scripturæ verba, nolit, vt sonant, intelligere? Quæ verò tam vrgens necessitas fuit; vt, homo nobilis, non ex fide, magno vtiq; suæ nobilitatis dedecorè, Smalcij verba referres; & sterquilinium serico operires?

Deniq;, quomodo mi Domine, immoto stomacho deuorate potuisti; eam veritatem, dici, absurdam, sanæ rationi contrariam, & in DEVM blasphemam: quam noueras, orbi Christiano ita fuisse communem; nemo vt Sanctorum Patrum fuerit: qui non eam disertissimè docuerit? Sanctissimæ TRINITATIS mysterium, non ab omnibus, clarè & dilucidè est explicatum: at qui eorum non expressissimè docuerit, DEVM esse factum hominẽ, nullus fuit. Saltem S. Ignatij, S. Clementis Romam, S. Irenæi, sanctitas & doctrina merebantur: vt eorum potiùs, quàm Smalcij patrocinium susciperes: potiùsque, Smalcium; quàm

quàm eos; rem absurdam, sanæ rationi dissonam, & in DEVM blasphemam docuisse; diceres. Sed difficilè est crimen non prodere vultu. Hîc miselle sorex tuo indicio perijsti. Hic, quod in Confessione subticuisti; te VERBI INCARNATI hostem, Ebionitarumque, à S. Ioanne Euangelista eiusq; discipulis feruidè impugnatorum, sectatorem prodidisti. Hîc item indicasti: te sentire; sanam rationem, extra vestrum cætum nullibi, esse: siquidem, id dogma, quod, omnes SS. Patres, cum tota Christiana Ecclesia, ab eius initio, constantissimè, vti Apostolicum, tenuerunt; sanæ rationi contrarium censes: quod tamen, vobis iustissimè obiectum, tanquam scomma suggillas.

31. Qui verò sunt; qui ad communia intelligendi principia, non ad præconceptas opiniones omnia exigunt? Nunquid Sociniſtæ? Atqui hi, manifestissima S. Scripturæ verba, dicta de Christo, nunquam antea auditis, & absurdissimis glossis peruertunt: DEO PATRI, sanguinem proprium adscribunt: Iehouæ nomen ciuitati, templo, Angelo tribuere malunt quàm Christo: Christumdici Deum & Saluatorem nostrum, Dominum & Deum nostrum, negant: vniuersalissimam illamdefitinionem hominis, (Homo est animal rationale) euertunt: vniuersalissimũ itẽ, & frequentissimũ S. Scripturæ dogma, (*nullus est alter DEVS nisi vnus*) pernegant: passimque, à proprio & literali sensu ad tropos confugiunt: nulla alia de causa, nisi ad tuendas præconceptas opiniones. Qui item illi, qui S. Scripturæ verba, ex vero sensu intelligunt: & à falso absurdoue vindicant? Socinus? Smalc? Wolkel? & cur non potius Basilius, Gregorij, Chrysostomus, Cyrilli, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius? Credere quis potest, Socinisticos interpretes, toti exercrabiles Christianitati, in expositione S. Scripturæ, omnibus SS. Patribus, Ecclesiæq; Doctoribus præferendos esse? Dicerene mi Domine audeas, tantorum Doctorum libros, nullum sensum, nullam habere intelligentiam? Et quid est vitrum præhabere margarito, si hoc non est? *Credimus* (ais) *Verbum carnem factum, sensu genuino, & ab Apostolis primitus tradito.* At qui iste sensus? vbi, & à quo Apostolo traditus? cur Apostolica testimonia, in Expositione Euangelij S. Ioannis Polonica, aut in Notis Welknerianis non produxisti? Cur meis argumentis, quibus tuam Polonicam explicationem refutaui: & S. Ignatij verbis falsi conuici, nihil respondes? Auertendi erant ei à clarissima luce oculi: cui contra apertissimam veritatem ire certum esset.

32. Instantiam quâ D. V. meam indignationem opprimere conatur, non moror. DEVS mihi testis est: & in nouissimo die patebit; me nisi disertissimè legerem; Christum, esse Verbum DEVM, plenum gratiæ & veritatis; quem Apostoli omnia scire professi sint: cui omnia à Patre tradita sint: qui omnia habeat:

habeat quæcunque habeat Pater: qui signa iudicio præuia designauerit: nunquam me fuisse laboraturum, in explicandis Verbis Christi, de ignorato iudicij die. Facilè me expedirem, vel, cum Maldonato, dicendo: Scientiam diei iudicij, ita appropriari DEO PATRI; vt salutis negotium appropriatur Filio: vel dicendo, eam esse proprietatem personalẽ, fluentem ex innascibilitate: atq; ideo ex eius ignorantia concludi non posse, Filium DEI, non esse DEVM Summum: sed tantùm nõ esse Deum ingenitũ: idque probando ex verbis illis; nisi *solus Pater:* dicendoq; id solùm inde inferri: quod VERBVM DEVS; non est DEVS PATER. At quia vidi, omniscientiam, expressissimis, verbis, ab Apostolis tribui Christo; oportuit, verba Christi explicari: quæ multis alijs dissonare videbantur.

Quodsi, licet, non crebrò, (quod requirit Smalcius) sed vel semel, tam disertè scriptum esset; Filius, non est vnus ille Deus, qui Pater est; quàm disertè scriptum est; *Verbum erat DEVS: Verbum caro factum est: Mundus per ipsum factus est: per eum condita sunt sæcula: quæcunq; habet Pater mea sunt. Domine tu scis omnia:* & similia: continuò, (DEVM, mentis meæ conscium, testor:) studiosiùs, in scrutiniũ eius dogmatis, incumberem: illudque, si veritati dissonum reperirem; abycerem. Nomina Christi DEI, & Filij DEI, id ipsum valere; quod DEI illius vnius disertam negationem; esse admodum falsum, omnes SS. PP. agnouerunt: qui in eis vocibus, negationem DEI ingeniti, affirmationem DEI hominis, includi; passim, in suis Codicibus prædicant. Quem, nomine Sedentis in throno & Agni, significari; disertis S. Scripturæ Verbis in Centuria probaui; etiamnum assero: quod ipsum ab aliquibus Theologis ante me assertum esse, doctissimus Ribera, in Commentario Apocalypsis, testatur.

33. Nullis Christianorum toto orbe diffusorum, Christiani sunt Sociniste: quid ergo mirum; si neq; mihi? Argumenta D. Vindicis, vti proponuntur; nisi cætera adsint; nihil valent. Etiam dæmonia clamabant: *Quid nobis & tibi IESV Nazarene? Scio quod sis Sanctus DEI.* Mar. 1. v. 24. Et 5. v. 7. *Quid mihi & tibi IESV Fili Altissimi?* Num ergo, & dæmones, in Spiritu DEI locuti; & ex DEO nati censendi? Credunt Mahomethani, IESVM esse Christum: vt supra ex Alcorano probaui: Num ergo & illi ex DEO nati? Ore confitebantur, Dominum esse IESVM, & credebant in corde suo, quod DEVS ipsum suscitârit ex mortuis; Gnostici, Ebionitæ, Donatistæ, Adamitæ, Dauidiani &c. Num ergo & illi, (vt omittam, quos S. Paulus à saluandis excludit: 1. Cor. 6. v. 10. Gal. 5. v. 29. &c. Eph. 5. v. 29. & alibi) salui fient?

34. Si

34. Si damnari ab hominibus minimum est; nobis profectò à vobis damnari minimum esse debet: quos Christianorum nomine, totus semper orbis censuit indignos: quod, dum Christi iniuriam & ignominiam, esse dicit D. V. ipse sui tibicen est: immemor moniti Salomonis: Prou.27. *Laudet te os alienum: extraneus, & non labia tua.* Vestrâ interest: ne damnetis Ecclesiã Christi, iuxta oracula Prophetica, toto orbe diffusam: & ipsum in eâ Christum: aliter, enim; vobis ipsis damnationem accersetis: quod auertat à vobis Dominus: nec enim velimus; (quod hîc D. V. minatur nobis) damnatione vestra, æternam nobis gloriam comparare.

35. Gaudeo D. Vindicem, tam multum progressum esse: vt, Turcas, æquè ac Socinistas, credere IESVM esse Christum; talem omnino, qualem Socinistæ descripserunt; didicerit: nempe (vt Alcoranus loquitur) eum, quem DEVS ad se transmigrare fecit: cuius ad se, reduxit animam, & exaltauit: cui Euangelium dedit; non ob aliud; nisi vt viri legum, in eum veraciter ante mortem credentes, per eum DEI dilectionem & gratiam assequerentur. En quam similis Socinistico Christo Turcicus! Similis & in alijs. Rident & blasphemant Turcæ tres in Diuinitate Personas: idem faciunt Socinistæ: rident prææternã Christi ex essentia PATRIS generationem: neque in hoc vinci se patiuntur Socinistæ. Cauillantur naturarum in Christo binionem: multò id feruentiùs agunt Socinistæ. Negant Christum esse DEVM: negant & Socinistæ: etiam nomen titulumque DEI negantes Christo: dicentes se in Christum, non vt in DEVM, sed vt in Dominum credere.

Cùm verò D. V. dicit; opinionem Turcarum de Christo eorum fidei fore similem; qui alium IESVM, alium Christum fuisse dicerent; (vti dicebãt Cheryntiani:) rectè ei dixerim quod alicui Lipsius: Hîc verò mi Domine; τυφλὸς τὰτ ὦτα, τὸν τε νοῦν, ταδ' ὀμμὰτ' εἶ. Quis enim vnquam audiuit, quis legit, credi à Turcis; alium esse IESVM, alium Chtistum? Deinde quid hoc ad nos? Nunquid nos credimus, alium esse IESVM, alium Christum? An non vna nobis Persona est; DEVS homo: seu Verbum caro factum?

36. Quæ de Albanis Ministris ex Antiuuieko retuli; relegat quæso veritatis studiosus Lector: experietur: me verba Socini ex fide retulisse: ideoq; D. Vindicem, citra calumniam, meam fidem in dubium vocare non potuisse.

37. Euangelicos, cur Catholicis associem; & in nomen Christianorum adoptem; patebit è Speculo Socinistarum. Summa est: in omnibus Symboli Apostolici articulis, primarisq; fidei dogmatibus, consonant Catholicis: disso-

 nant So-

nant Socinistis: ideoq; à numero Christianorum, vt à nobis excludantur; (vti eos excludit Smalcius) nullum est periculum.

TRVTINA VINDICIARVM. CAPITIS QVINTI.

Eius Vnigenitum.

1. FVci, & impostvræ, svspicionem, ex Confessione, *Filium DEI vnigenitum* se credere fingente, enatam; confirmant Vindiciæ. Nam ad sustinendum vnigeniti Filij DEI titulum, non sufficit aliquem virtute SPIRITVS S. nasci: quia nullus Sanctorum Patrum Primitiuæ Ecclesiæ, nomen Vnigeniti Filij DEI, ita explicauit: immò, quoties generationis Christi, quâ hominis, faciunt mentionem, aiunt esse genitum sine Patre. Et verò mirum est, D. Vindicem, tanta loquendi libertate, asserere, Christum hominem, ex DEO Altissimo genitum: etsi, neq; S. Scripturam, neq; vllum Sanctorum Patrum habeat: qui ei ad eum sensum facem prætulerit. Omnibus Christianis ratum semper fixumq; fuit: IESVM esse Filium DEI Vnigenitum, non ideo, quia homo natus est per Spiritum S. seu loquendo clarè, virtute Diuina; sed quia solus, ex essentia Diuina, ante omnia sæcula, genitus est. Hominem Christum, qui vnquam dixerit, esse genitum ex DEO Altissimo, neminem noui: neq; D. V. nosse me fecit: quod tamen ei faciendum erat; si nobis suum sensum persuadere voluit: quem contrarium esse nouimus, disertissimis S. Scripturæ Verbis: Ioan: 3. v.6. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Cùm ergo DEVS Altissimus, Spiritus sit; irrefragabiliter sequitur, Christum, non hominem, sed Spiritum natum esse: si ex DEO Altissimo, (vt vult D. V.) natus sit. Denique, hæc D. Ionæ sententia, in principijs eius, magnam patitur difficultatem. *SPIRITVS S.* ait ille infra fol: 178. *est sanctissimus afflatus: & virtus: & donum: Sanctis hominibus communicatum:* quomodo ergo Filius DEI generari potuit, per hunc afflatum? quomodo Filij DEI generationem, hic afflatus perficere potuit? Filios DEI adoptiuos, per S. SPIRITVM fieri posse, noui: at, verum, & proprium Filium DEI, alioq; genitum Filiationis genere, quàm, quo, Angeli, sunt Filij DEI; dici ideo; quia per Spiritum S. genitus, vel potiùs regeneratus sit; quis Apostolorum docuit? Quodsi, per Spiritum S. intelligitur, virtus, & Omnipotentia DEI; explicet D. V. cur for-

cur formatiò Corporis Christi, è sanguine Virgineo, sit generatio ; & formatio corporis Euæ, ex costa Adæ, non sit generatio ? Vtrobique, non alia est causa Efficiens, nisi virtus Altissimi, operans thaumaturgicè. Vtrobique, actio merissimè transiens : neutra substantiam producentis, producto communicat : solâ Materiâ differunt : quòd, in productione Christi, producatur, Diuinâ virtute, caro Christi, è sanguine Virgineo, qui ad generandum, sine alterius sexus consortio, vim nullam haberet : in productione verò Euæ, producitur caro Euæ, ex costa Euæ, per se, ad generandum inhabili. Cur ergo Christus homo, censetur genitus ex DEO Altissimo, quia genitus est ex Virgine virtute Altissimi ; & non censetur ex eodem DEO genita Eua, etsi eadem virtute, (& fortasse sublimiùs operante) ex costa Adæ producta sit ? Ostendatur : qui maior DEI fuerit concursus, ad productionem corporis Christi, quàm ad productionem corporis Euæ. Detur ratio : cur concursus ad producendum Christum hominem, fuerit, vera propriaque Generatio : (de tali enim loquimur :) & concursus ad producendam Euam non fuerit eadem ? Immò detur ratio : cur productio Adæ, non censeatur Generatio ; etsi expressè, in Genealogia Christi, Adam ita dicatur Filius DEI, vt Seth Filius Adæ ? Atq; id eò magis, quòd Maldonatus, magnopere à D. Vindice laudatus interpres ; Christi qua hominis generationem, comparet cum productione Adæ. Apparebit hîc, D. Vindicis, in citandis Authoribus Catholicis Fides. Verbis è Maldonato citatis, hæc, quæ subijciuntur, subticuit D. V. At en ea produco. *Eodem* (ait) *prorsus modo, quo, Lucas c. 3. v. 38. Adamum vocat Filium DEI : quia non à viro, sed à DEO genitus est.* Hæc verba, cùm, & in Antopologia & hîc, subticuerit D. Vindex ; iudicet æquus Lector, quid de eius fide, in allegandis Orthodoxis Scriptoribus, sentiendum sit : quanquam eiusdem fidei, plura, non deerunt, in hoc ipso capite, experimenta : quæ mox producam. Interea certum esto : Christum, eo titulo non posse dici, vnigenitum DEI Filium ; quem D. V. commentus est : cùm is communis sit, Adamo & Euæ : vt omittam nunc alios thaumaturgicos partus.

2. Loca, quæ ex S. Scriptura, pro æternâ Filij DEI, ex Patre generatione, produxi, firmissimè consistunt : vt in Anastasi Centuriæ cæsæ demonstro. Ne tamen D. V. tædio tabescat ; etiam hîc breuiter respondeo.

3. Michææ 5. per egressus vel emanationes, (vti habet Vatabl) à diebus æternitatis ; vel à diebus (vt habet Tigurina) æternis, vel à diebus sæculi ; æternam Christi generationem intellexere SS. PP. Athanas. Cyrill. Alex. Chrysost. alijque Arrianorum veterum impugnatores : & insuper Origen. & Eusebius, alijq; à PP. Cornelio & Ribera, in huius Prophetiæ Commentarijs, citati : Vbi etiam omnia effugia, quæ à Sociniistis arripiuntur, præcluduntur. Eos, si potest D. V. refellat.

4. Ps. 109. verba illa: *Ex vtero ante luciferum genui te:* esse authentica; atque his, quæ nunc in Hebræo textu leguntur, præferenda; probat, interpretum, iudicio D. Vindicis, acutissimus; Maldonatus: quia veteres Authores Catholici, quoties contra Iudæos, vel Samosatheniſtas disputarent; vsi sunt hac versione: & tamen nusquam vllus dixit, aliter legi in Hebræo. Ergo patet: quòd eo tempore ita legebatur, vti nunc in textu Græco legitur: & quòd à Massoretis punctorum inuentoribus, mutatione punctorum; antiquis ignota introducta sit lectio. Deinde non est verisimile: Septuaginta Interpretes, non vertisse, secundum veritatem Hebraicam: maximè cùm essent doctissimi: fieretq; munere diuino; vt licet ab inuicem separati, omnes in vnam versionem conuenerint. Denique, Doctores Catholici, firmissimè contra Arrianos, ex hoc loco probabant Diuinitatem æternamq; Generationem Filij DEI: & tamen nusquam legimus: Arrianos respondisse, non ita in Hebræo legi: quod tamen, ad se tuendos, feciſſent; si eorum tempore ita lectum fuisset. Hæc ille. Cui addo authoritatem S. Epiphanij: qui hæresi 65. contra Paulum Samosathenum, sex aliorum versionibus reiectis, verba Hebræa producit: quibus ait significari, clarè & citra ambiguitatem: *Ex ventre, ante Luciferum* (id est, antequã quid creatum esset) *genui te.* Hic, cùm fuerit Hebræus genere, eruditione, & linguæ Hebrææ peritiâ, non tantùm Flaminio, sed alijs quoq; Hebraizantibus meritò præferendus; accedente suffragio aliorum SS. PP. præsertim, SS. Ignatij & Irenæi, aliorumque à Lorino prolixè citatorum; extra controuersiam ponit hunc sensum: quo versus iste de æterna Christi D. generatione explicatur: vti eum, de eâ, etiam S. Augustinus, teste Maldonato & Lorino explicat: quoties contra Arrianos disputat, quod ipsum facit Tertullianus, lib: con: Praxeam: cap. 7. & 11.

5. Prouerbiorum cap: 8. qui per Sapientiam, (quæ concepta fuerit, cùm abyssi nondum essent; quæ ante montes & colles fuerit paturita; quæ cum Mundi fabcatore fuerit cuncta componens) intellexerit legem Diuinam; vidi neminem: præter quosdam Iudæos; qui apud Galatin: l. 7. de Arcanis, c. 1. eam conditam duobus millibus annorum, ante mundum à DEO conditum, fabulantur: quorum tamen ipsorum, neminem scio, eò dementiæ delapsum; dicere vt auderet, etiam verba illa, Baruch 3. v. 36. 38. *Hic est DEVS noster, & non æstimabitur alius aduersus eum &c. posthæc in terris visus est &c.* & quæ Eccl, 24. v. 5. 6. 7. & seqq. dicuntur; de lege DEI intelligenda esse: quod tamen vtrumq; D. V. dicere est ausus.

6. Cæterùm Prou: 8. agi de Sapientia Incarnata, distributiuè; ita vt quidam ver-

dam versus loquantur de Sapientia increata; quidam de Incarnata; & creata; communis est vox omnium SS. Patrum: omnium S. Scripturæ Interpretum, & Theologorum.

7. In primo Christianæ fidei sæculo, S. Ignatius, in epistola ad Tarsenses, æternam VERBI DEI generationem verbis illis, inter alia, probat: *Dominus creauit me, initium viarum suarum: ante sæcula fundauit me: & ante omnes colles generat me.* Verba illa Sap: 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*, idem, de VERBO in carne habitante, epistolà ad Philip. & Smyrnen. explicauit.

De eadem Sapientia, hæc vtraque verba explicat S. Clemens Romanus, Apost. Constit. l. 5. c. 19. vbi verba etiã citata Baruch, de Christo explicantur.

8. Secundo sæculo, S. Iustinus Martyr, caput propè dimidium, de Verbo DEO explicat: in Dial: con: Tryphonem, Edit: Lang. fol: 117. & rursus, magnam eiusdem partem: fol: 259. Athenagoras ibidem: fol. 229. S. Irenæus, de Sapientiâ increatâ, versum 22, & 23 explicat: l. 4. c. 37.

Iisdem verbis, mysterium æterni Verbi, explicat: Clemens Alex: in Parænetico.

Idem facit, discipulus eius Origenes: cuius verborum partem ex 1. Periarchon refert Pamphilus Martyr, in eius defensione. *Saluator* (inquit) *noster qui est Sapientia; sic de seipsa per Salomonem dicit: Ante omnes colles generat me. Non enim dixit: ante omnes colles genuit me: sed generat: in quo significatio sempiternitatis est.* Ijsdem verbis, illustrat Euangelij S. Ioannis initium: in eius Commentario. Sed potissimùm eo sæculo, in Sermone de Sapientia increata, seu Verbo DEO, Tertullian: Versu 22. & seqq. vsus est, contra Hermogen. c. 18. Versu eodem & seqq. vsus est contra Praxeam, c. 16. ad probandum: Verbum DEVM, esse Personam à DEO Patre distinctam: quod rursus ibidem fecit: c. 11. & 19.

9. Tertio sæculo, Christum esse Sapientiam DEI, per quem omnia facta sint; per huius Capitis, & Ecci 24 verba; prolixè probat S. Cyprianus lib: 2. contra Iudæos: vbi etiam per verba illa, *Sapientia ædificauit sibi domum.* probat: Quòd Sapientia DEI Christus, incarnata sit.

Eodem modo S. Gregorius Thaumaturgus in Fidei Expositione Filium DEI vocat Sapientiam, quâ omnia creata sunt: ad quod ipsum probandum, contra Samosathenum, Dionysius Alexandrinus, verbis illis; *cum eo erant cuncta componens*; vtitur in Epistola ad Syn: Antiochenam.

Eiusdem capitis aliquot versus allegat Lactantius: l. 4. de vera Sapientia:

c.6. *Ipse (inquit) est* DEI *Filius, qui per Salomonẽ Diuino spiritu plenum, ea locutus est: Deus condidit me in initio viarum suarum, in opera sua ante sæcula: ante omnes colles genuit me Dominus: quando faciebat fundamenta terræ, eram penes illum disponens.*

10. Deniq; tribus Primis integris sæculis, ante hæresim Arrianorum ab inferis excitam, nemo, quod sciam, fuit: qui hæc Salomonis verba, aliter quàm de Verbo DEO, & Sapientia increata intellexerit. Postquam verò impius Arrius, vestem Christi inconsutilem discidit; cæpere Sancti Patres, aliquos huius Capitis versus de Sapientia increata; aliquos de Sapientia eadem, sed Incarnata explicare. Et quidem S. Athanasius, l. 3. contra Arrianos prolixè probat: Christum esse Sapientiam: Prou. 8. descriptam: sed versum illum Dominus creauit me; prouerbiali schemate dici, de assumpta à VERBO humanitate. *Suam naturam* (ait inter alia) *Dominus cognitam habens, eamq; esse vnigenitam Sapientiam, & Sobolẽ Patris, & diuersæ Substantiæ à genitis & creatis; humano more loqui voluit:* ***Dominus creauit me, &c.*** *acsi diceret: Pater mihi corpus perfecit: & inter homines me creando constituit, pro hominum salute, &c. Quid igitur o stulti vos seduxit: vt hunc qui creator est, creaturam diceretis? Nam Prouerbia quidem loquuntur (creauit) sed tamen non dicunt Filium creaturam esse, sed genitum quiddam, &c.* Et inferiùs. *Cum dixisset; creauit me; subiecit: Ante omnes colles genuit me: tanquam is, qui cauere, & consulere voluit huic verbo, creauit.* Eadem arcana breuiùs eloquitur S. Basilius: lib 4. contra Eunomium. *Capiendum verbum,* ***genuit, de DEI FILIO: creauit*** *verò de DEO qui Formam DEI accepit. In omnibus autem istis, non duo dicimus: DEVM seorsum, & hominem seorsum. Vnus enim erat: sed cogitatione cuiuslibet naturam considerabamus.* Idem loquitur S. Gregor: Naz: Orat: 5. contra Arrianos. *Quis neget, creaturam dici Sapientiam ratione generationis inferæ: genitum verò quiddam, ratione generationis primæ & magis incomprehensibilis?* Et S. Cyrillus Alexandrinus: l. 5. Thesauri c. 7. *Filius* DEI *natus ex Patre, vt Verbum est: creatus verò, vt homo: & factus initium viarum: ideò non solùm dixit;* ***Dominus creauit me initium viarum:*** *sed, & ad significandam æternam suam generationem; dixit:* ***Ante omnes colles genuit me: & ante sæcula fundauit me.***

11. Hìc ego ex ipsis Domin: Sociniſtis, quæsitores habere vellem: quibus censendum offerrem; an non, iustissimè, D. Vindicem stellionatus postulare possim. Ait is: recensitos Patres, passim negare, nomen Sapientiæ apud Salomonem, de Filio DEI necessariò accipi. Si vel vnicum ex eis produxisset locum;

locum; quo id legisset; toleratu facilius esset: at cùm, ne vnico quidem producto loco, (vt reuera nullus est) quo id, quod asserit, doceretur; dicit nihilominus; passim id doceri: id verò eiusmodi est, vt fibram etiam corneam, ad indignationem excitare possit. Dicit idem: eos docuisse, cùm totus liber sit parabolicus, impropriè hunc locum (c. 8.) intelligendum esse de Christo: at vbi quæso id legit? vocem *Creauit* prouerbialischemate dici de Christo, citati Patres docuere: at qui eorum, voces illas, (*ante omnes colles genuit me:* alioqui; Capitis versus) de Christo impropriè dictos dixerit; indicare debuit D. V. si fidem, sæpiùs aliqui doli compertam, extra suspicionem ponere voluit. Ne illud quidem veritati consonat: omnes eius capitis versus, de humana natura, à SS. Patribus esse explicatos: vt è verbis eorum, à me productis, manifestum est.

12. At enim saltem S. Epiphanius passim negat, nomen Sapientiæ apud Salomonem de Filio DEI necessariò accipi. Ne id quidem certum. Sisto Lectori verba illius: ex eis, quid de hoc senserit; iudicetur. Tomo Secundo, l. 2. contra Arriomanitas, postquam, in solutione eorum verborum, (Dominus creauit me) dixisset: ea nullo modo ad Filij DEI Deitatem referri posse; sed ad summum in carne impleri; & ibidem negasset, per Sapientiam à Salomone descriptam, Filium DEI, propriè & absolutè intelligi, tandem ita concluſit. *Atque hæc dicimus: non omnino sic decernentes, sed piè potiùs ad aduentum in carne referentes. Et si etiam oportet sic dicere; tamen nemo nos coëgerit, hanc dictionem,* (creauit) *penitus nos de Christo intelligere. Si verò de Christo dicetur; habet etiam suam vim: non iuxta vatiuinium dictam: sed iuxta ratiocinationis pietatem: ne quid imminutionis ad DEVM referamus: ita vt putemus: inferiorem, ipsum habere Deitatem, à Patris Essentia. Etenim quidam, ex Patribus nostris, & Orthodoxis, hanc dictionem* (Creauit me: fundauit me) *retulerunt ad aduentū in carne.* Hic æquus Censor iudicet: an S. Epiphanius, passim neget; Sapientiam descriptam Prou: 8. vspiam loqui de Christo: cùm toties, significet: se id solum dicere: vnam alteramue eius Capitis dictionem, de Filio DEI, eiusq; Deitate non esse intelligendam: stando in Græco textu: alioqui iuxta Hebræum, quem ibidem adducit; solidè probat: futile esse Arriomanitarum argumentum. Deniq; quidquid sit; de eius Sententia, libro citato, explicatâ; in Ancorato, distinctiùs, contra eosdem hæreticos dimicans, ait: *An de Sapientia Patris* (seu Filio DEI) *sit Sermo Salomonis dictus: neque affirmo: neque denego: DEO autem permitto, vt hoc sciat.* Quomodo ergo stellionatus immunis est, is; qui S. Epiphanio, tanquam dogma, passim ab eo assertum, adscribit: quod se, is disertissimè negat, affirmare? Sed non desunt, plura, eiusdem vitij, specimina.

13. Ver-

13. Verba illa Apostoli, Col: 1. Primogenitus omnis Creaturæ, ita intellexere Primitiui Patrum: vt illa explicauit Syrach: 24. v 5. Nimium S. Clemens Roman. Constit. Apostolicarum, l. 8. c. 12. *Tu* (alloquitur ibi DEVM Patrem) *ante omnia sæcula, genuisti, sine vllo medio, Filium Vnigenitum, Verbum Deum, Sapientiam Viuentem, primogenitum omnis creaturæ, &c.* S. Iustinus Martyr, libro contra Triphonem ait: *Hæc ipsa, à Patre edita progenies, ante omnes creaturas, vnâ cum Patre fuit: prout Verbum per Salomonem declarauit: primitus, ante omnes creaturas, eam ipsam progeniem, à DEO genitam esse; quæ Sapientia à Salomone vocatur.* Origenes l. 1. Periarch: c. 2. *Vnigenitus Filius DEI, dicitur Sapientia: vt & Salomon dixit: Dominus creauit me initium Viarum suarum: ante sæcula fundauit me: ante omnes colles genuit me. Dicitur & primogenitus: vt dixit Apostolus: qui est primogenitus omnis creaturæ, nec tamen alius est primogenitus per naturam: quàm Sapientia, sed vnus atque idē est.* Idem apud Pamphilum Martyrem, inter hæreticos, numerat eos: qui Christum, negant esse primogenitum totius creaturæ: Deum Verbum: & Sapientiam, *ante omnes colles generatam: sed eum censent, esse solùm hominem.* Idem in Commentario Euangelij S. Ioannis, circa finem Capitis, vel Tomi II. ait: *Iuxta Dauid Prophetā, Deus dixit & facta sunt: mandauit & creata sunt. Mandauit enim ingenitus DEVS primigenito omnis creaturæ: & creata sunt: non solum mundus, & quæ sunt in illo; sed & reliqua omnia.* Tertullianus l. contra Praxeam, c. 7. *Filius, dicitur Primogenitus, vt ante omnia genitus: & Vnigenitus, vt solus ex DEO genitus.* Et l. 5. contra Marcionem, c. 19. ait: *Si non est Christus primogenitus conditionis,* (ita is legit) *vt Sermo Creatoris, per quem omnia facta sunt; si non in illo condita sunt vniuersa, &c. non vtique tam nudè posuisset Apostolus: Et ipse est ante omnes. Quomodo enim ante omnes, si non ante omnia? vnde ante omnes probabitur fuisse, qui post omnia apparuit?* Eundem sensum, Tertulliani coæuus Nouatianus, lib: de TRINITATE ante Schisma edito, præclarè elocutus est: c. 16. *Quomodo Christus, primogenitus omnis creaturæ dici potuit, nisi quoniam secundùm Diuinitatem, ante omnem creaturam, ex Patre DEO, Sermo processit?*

14. Pressiùs verbis Apostolicis insistit S. Basilius l. 4. contra Eunomium: *Si ante creaturam, filius non genitura est sed creatura; primo vtique creatus diceretur, non primogenitus. Si quoniam primogenitus creaturæ dictus est, primò creatus est; etiam cùm primogenitus mortuorum dicitur, ante mortuus mortuorum erit.* Diuerso modo argumentatur S. Cyrill: Alex: l. 10. Thesauri c. 3. ex eisdem verbis: *Si quia primogenitus omnium dicitur creaturarum, creaturis est adnumerandus; omnem rursus creaturam excedere videbitur, quia solus vnigenitus dictus est. Vnigenitus ergo est: qua*

ste : quâ solus ex Patre nascitur : & solus DEI Filius naturaliter est : primogenitus verò non simpliciter : sed in multis fratribus. Primogenitus dicitur : non quia, eiusdem ipse; in quantum DEI Verbum, cum creaturis essentiæ est : sed quia in ipso primo, deificati sumus, &c. Non est ergo ipse, vt VERBVM ; creatura : Nã si omnia, quæ creata sunt, per ipsũ creata sunt; ipse seipsũ creauit; si secundũ hæreticos, creatura est: quod est impossibile.

Inferiùs autem aliter verba Apostolica explicat. Quomodo (inquiunt) Si verus DEI Filius Verbum est, cæteris eum connumerat Sacrâ Scriptura dicens : Primogenitus omnis creaturæ : oportet enim (en tua D. Iona probatio) tale esse Verbum secundum naturam : qualia sunt, quorum est primum. Magna in hoc sermone impietas est : non enim, quia Creatura est Filius, totius creaturæ primogenitus dicitur : sed quia omnes in ipso, & per ipsum, adoptati filij DEI per gratiam efficimur : cuius gratiæ ipse author est. Denique si quia primus totius creaturæ filius dicitur, creaturam eum esse creditis, quid dicetis, quando Pater de se dixit. Ego primus : & ego post hæc ? An & ipsum primum creaturarum dicere audebitis ?

15. Videsne D. Iona, in tuum te incurrisse mucronem ? Sentis te armis, quæ è nostro armamentario inconsultè arripuisti, iugulari ? Sed videamus : an etiam S. Athanasius, quem ex quopiam Guilliando citas ; (quasi non præstitisset, ipsius Sancti relegere codicem) tibi suffragetur.

Sermone 3. contra Arrianos hæc habet. Non potest idem vnigenitus, & primogenitus esse, nisi aliô, atque aliô referatur : Vt vnigenitus quidem habeatur, ob generationem ex Patre, primogenitus verò ob condescensum ad creaturas, & multorum fratrum, quæ inde efficitur, congermanitatem. Cùm ergo duo ista, ita inter se contraria sint meritò quis dicat : obtinere potissimùm in Verbo proprietatem Vnigeniti : eô quòd dicatur simpliciter, Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris ; primogenitus autem cum additamento causæ : nam creaturarum gratiâ, primogenitus est factus : quam causam Paulus etiam suis verbis implicuit : dum ait : In eo creata sunt omnia. Quodsi omnia ab eo creata sunt ; aliud ipse à creaturis : & nequaquam creatura fuerit : cùm sit creator omnium. Et infra. Hoc minimè intelligentes impij, circumuagantur : seq; his verbis ingerunt : Si primogenitus est omnis creationis, (Ecce D. Vindicis argumentum :) certum est eum vnũ esse è rebus creatis ; Stulti ! si omnino omnis creationis primogenitus est : diuersũ ergo quid, à rebus creatis fuerit : non enim dixit : primogenitus est omniũ aliarũ creaturarũ, ne veluti vnus, è creaturis ob cognationẽ haberetur, sed vniuersæ creationis : vt diuersum quid à creaturis esse intelligeretur. Nam si res condita sit ; ipse quoque sui primogenitus fuerit. Veritas ipsa tam absurdã opinionem refutat : docetq; eũ primogenitũ inter multos fratres appellatum fuisse, ob carnis nostræ cognationem : primogenitum ex mortuis ; quòd per eum ; & cum eo resurrectio mortuorum incæperit : primogenitum verò omnis creaturæ : quòd Pater suo in homines amore, per Verbum suum, voluerit, non

 solùm

solùm omnia condere: sed etiam creaturam, accepta reuelatione filiorum DEI, *ab omni seruitute corruptionis liberatos, in libertatem gloriæ filiorum* DEI, *Vendicare, &c.* Hæc ibi.

16. Iamne vides, Domine Vindex, iamne sentis, te, nouum Bellerophonta, literas contra te produxisse? Dicerene possis, Filium DEI esse creaturam, neq; aliam, præter humanam, habere naturam, si eis, quorum testimonijs muniri te voluisti, fidem haberi volueris? Poteras ne apertius Triadomachorum causam prodere; quàm cùm recensitos testes pro ea allegasti. Abunde, tu quidem prospectum tuo cuniculo, putasti: si nullius eorum, quos citasti Verba; ac ne locum quidem, vnde sumerentur produceres; illud tamen à te minus obseruatum: quantum tibi hæc machina, si discusso puluere, extrahatur in lucem, accersat malum. Ego certè vereor: ne quidquid hactenus fidei, apud tuos Pythagoricos habuisti; tam adulterinis Sanctorum Patrum allegationibus subruas. Sed pergendum est.

17. *Figura substantiæ* DEI *dicitur Christus:* Hebr: 1. v. 3. *Non igitur* (ait D. V.) *ipsa substantia.* Omitto Sanctorum Patrum fulmina, quibus te obruere possem. Vnum dico. Sume vocem Hypostasis, quam in Græco textu legis, & voci DEI, adde vocem Patris: & verè dices: Christum non esse Personam Patris: sed figuram vel characterem eius. Miror: D. Ionam, in Commentario Epistolæ ad Hebr: ea verba, manu admodum suspensâ tractasse: quasi nesciret: quantum olim momenti, his inesse verbis, veteres Arrianorum impugnatores agnouerint.

18. Verba illa: *Tu Domine in principio terram fundasti*, de Christo dicta esse; continuus verborum Apostolicorum nexus conuincit. Sententiam D. Vindicis alibi impugnaui: neque is eam hîc aliâ ratione probat, quàm suâ δόκησει: quæ, extra Musæum Pythagoricum, non capit.

Non de Christo solùm, sed & ad Christum verba illa; *Ego ero illi in Patrem, &c.* dicta esse; probat præcedens versus: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu? &c.* Quibus verbis, præcedentibus & sequentibus coniunctis, bene Christi Diuinitatem probare Apostolum, demonstrat Iustinianus Noster, in Epistolam ad Hebr. Mihi sufficit illud Apostoli; *Cui enim dixit Angelorum? &c.* quo significatur: tam verba hæc, *Ero illi in Patrem, &c.* quàm illa, *Filius meus es tu, &c.* eam Christi significare filiationem; quæ ei neq; cum Angelis, nedum cum hominibus communis sit. Verba illa Isaiæ; *Generationem eius quis enarrabit*; de impia, Iudæorum generatione explicare, impietas est: omnium SS. Patrum, etiam primitiuæ Ecclesiæ

cleſiæ, Clementis, Ignatij, Iuſtini, Irenæi, Tertul. Origen. Cypriani, Lactantij, &c. damnata ſuffragijs. O mi Domine, ſaltem ab hac ſcabie manum tenere potuiſti. Decuitnè, Virum grauem, & (vti ſum perſuaſus,) eruditum, totius primitiuæ Eccleſiæ authoritatem, vnius, alteriuſué Hebraizantis, pedibus ſubijcere?

19. *Filium DEI verum, eſſe Chriſtum; dici;* (ait D. V.) *opus non fuit: (quis enim credentium in Chriſtum, non protinus id agnoſcat?) ideo nec dictum eſt.* Sed horum alterũ futile: alterum falſum. Quis credentium in Chriſtum, non protinus agnouit, eum fuiſſe & eſſe hominem? & tamen ſcriptum eſt eum eſſe hominem. quis eorundem, neſcit, natum eſſe de MARIA Virgine? & tamen hoc etiam ſcriptum. quis eorundem paſſum, crucifixumq; negauit? & tamen hoc item ſcriptum. deinde: nunquid hæc ita connexa; vt qui credat aliquem eſſe Chriſtum, eundem protinus agnoſcat eſſe Filium DEI verum? Credidere Iudæi; non tantùm Dauidem, alioſq; ſuos Reges, ſed &, Cyrum Ethnicum, eſſe Chriſtum; num ergo non tantùm ſuos Reges, ſed & hominem Ethnicum, eſſe verum DEI Filium agnouerunt? Denique vos ipſi Domini Sociniſtæ, dicitis: vos in Chriſtum credere; & tamen eum eſſe verum DEI Filium negatis: cùm dicitis: Chriſtnm, aliam naturam præter humanam, habere nullam. Quomodo iſte verus DEI Filius eſt: qui eſſentiam naturamuè Patris, per generationem non accepit? Ignoſcant Sociniſtarum Miniſtri: Vt alibi frequenter; ita & hîc impoſtores ſunt: cùm verum DEI Filium, aliter definiunt; quàm eum, hactenus, omnes SS. PP. & S. Scripturæ Interpretes, & Theologi definiuerunt. Vna omnium vox eſt: IESVM ideo eſſe verum DEI Filium: quia ſolus, per generationem, DEI eſſentiam habet. Quidquid de hoc præter hoc dicitur; impoſtura eſt. Erat ergo id dici neceſſarium, propter hæreſes, quæ dicturæ erant, Chriſtum non eſſe alio modo filium; quàm quo alij iuſti: nempe adoptiuum, non verum.

20. IESVM à S. Ioanne, dictum eſſe Filium DEI verum; textus Biblicus, ab orbe vniuerſo Chriſtiano receptus, conuincit. Græcum, textum etiam à nobis eſſe; apertiſſimè (vt omittam SS. Patres, quos fusè recenſet Noſter Lorinus) teſtatur Socinus, in Commentario horummet Verborum: fol: 515. *Verùm, nobis magis placet, &c.* de quo quia contra dæmonographum: qui, in horum verborum dianoia omnes cæcutire, ſe ſolum lynceum, cenſuit; abundè actum eſt: non libet hîc ampliùs morari.

20. Eſt ergo veriſſimum: Confeſſionis authorem, eiuſq; ſequaces, nimis diminutum de Filio DEI habere ſenſum. Non enim cenſent, eum eſſe Filium DEI verum: quia ei negant ſubſtantiam Patris: quod tamen ad Filiationem veram, & Theologi, & Grammatici, & Philoſophi omnes, omnino requirunt.

Negant esse Vnigenitum: quia, negant, eum vllo genitum modo, qui Fratres excludat. Nam genitum esse virtute Altissimi, conuenit Adæ & Euæ: vt probaui: neq; vlla hactenus, à tot Sociniſticis Scriptoribus, allata est ratio: cur D. IESVS, censeatur genitus ex DEO, & non Adam, vel Eua: etsi vtrobiq; non alius genitor interuenerit quàm DEVS: cur item, productio DEI miraculosa ex Virgine, sit veri Filij generatio, & non productio Adæ, cui similem generationem D. IESV fuisse, docuit Author à Vindice laudatus: etsi vt paulo ante retuli; non satis bona fide adductus: ob præcisa verba per quæ totũ eius euertitur ædificium: Genitum item Filium DEI, per sanctificationem non soli Christo conuenit sed multis: constat enim, adhuc in vtero Matris sanctificatos esse Ieremiam, & Ioannem Baptistam: vt alios præteream adultâ ætate sanctificatos. Designari ad singulariſſima munera, quis dixerit generari? Singulariſſimum immò (teste Moschorouio) Diuinum munus est; verbi Ministerium. An ergo D. Vindex filius DEI genitus est; cum est Minister factus?

Neq; resuscitatio à mortuis IESV, facere eum potest vnigenitum; nisi dicatur, DEVM Patrem non dedisse nobis Filium vnigenitum; Ioan: 3. v. 16. & 1. Ioan: 4. v. 9. nec illum, qui ὢν in sinu Patris, DEVM nobis, nulli ante visum enarrauit; fuisse vnigenitum: vt pote modo primùm post suam exaltationem (eam enim solam, per resurrectionem ad vitam immortalem, Sociniſtæ intelligunt:) genitum vnigenitum. Denique, certum est omnes prædestinatos ad vitam immortalem resuscitatum iri: quo facto, oportebit D. IESVM desinere esse Filium vnigenitum. Quid verò horum non absurdiſſimum est?

21. Proprius DEI Filius non fit per hoc; quòd alium Patrem præter DEVM non habeat: quia eum neq; Adam habet, vocatus à S. Luca Filius DEI: quem tamen esse proprium DEI Filium, nemo, præter eos, quos impugnamus, dixerit. Quodsi omnes Sociniſtæ, sunt proprij Filij DEI; (vt asserit D. V. fol: 108.) quomodo titulus vnigeniti Filij DEI, relinquetur Christo? Denique, si geniti per gratiam DEI Filij, sunt Filij DEI proprij; qui erunt adoptiui? Hactenus certè, homines iustos, esse adoptiuos DEI Filios, ideoq; non proprios, orbis censuit Christianus.

22. Instantiæ à me allatæ, contra Confessionis positiones firmiter subsistunt. Adami & Euæ productionem, productioni Christi esse ita similem, vt si hæc vera generatio sit; illas quoq; esse, oporteat; iam probaui: & Maldonati callidam mutilationẽ exprobraui. Ostendat, D. V. si potest: quomodo conueniat definitio generationis, ei actioni, per quam, non substantia generantis communicatur genito: sed tantùm, ea miraculosè producitur: quæ nec erat nec est in generante: immò quæ repugnat generantis suppositò: vtpote mortalis, immorta-

mortali: carnalis spirituali. Ioannes Baptista, & modo Conceptionis miraculoso, & acceleratione sanctificationis, & Spiritus S. plenitudine, & gratiâ apud DEVM, quâ, inter natos mulierum fuit summus, & muneris dignitate, & vitæ austeritate fuit admodum singularis. Quidni ergo eum, in veritate & proprietate, DEI Filiationis, à Sociniſtis confictæ, comparem Christo? Maioritas hîc & excellentia, nihil ad rhombum. Certum enim est, tam verum, & proprium Filium Dauidis fuisse Absalonem, quàm Salomonem: esto Salomon Absalone fuerit multo excellentior. Fucum ergo facit, D. V. cùm me, ait, absurdè Christum comparare Ioanni: vel Heliæ. Non id ago mi homo: sed ostendo: omnes Filiationis veræ, & propriæ, titulos; quibus tu, Vnigeniti Filij DEI nomen, Christo vindicare conaris; subsistere non posse: eò quòd, quoad Generationis vel Filiationis modum, pluribus, sint communes: vti probatum est.

23. Similitudo, à me allata, rei propositæ optimè competit. Nam, cùm Confessionis Author, nullam fecerit mentionem, veri, & proprij Filij DEI; nullam item eius ex vtero Iehouæ generationis; nullam egressuum, vel emanationum eius à diebus æternis; eaq; sola S. Scripturæ loca attulerit; quibus Christo tribuitur Filiatio, communis hominibus iustis: quam, omnes SS. PP. & Theologi Orthodoxi, non alio vnquam, quàm adoptiuæ Filiationis titulo insigniuere; meritò intuli: D. Fagetanum, velle: eâ sola ratione, Christum dici DEI Filium; quâ ipse dici, nobilis viri Filius, nollet: nimirum: neq; verum DEI Patris Filium: neq; proprium: neq; vnigenitum: sed vel solùm adoptiuum: seu eum, qui, ob sanctificationem, vel glorificationem, DEI dicatur Filius: vel per virtutem Diuinã, id est, miraculosè & supernaturaliter productũ: quorum neutrum, verum, propriumque DEI Patris Filium facere potest: cùm hi tituli, per solam Paternæ Essentiæ genito communicationem, conferri valeant.

24. Neq; verò ego, in allata similitudine, posui thesim: (tum enim meritò indignaretur D. Fagetanus:) sed hypothesim: loquor, inquam, conditionatè, non absolutè: vt proinde videre nequeam; quid hîc D. Vindici mouerit stomachum.

25. Comparatio, inter Diuinam Generationem, & humanam, sine sanguine, optimè subsistit: cùm definitionem illam vniuersalissimam, Generationis viuentium; quod sit, *Productio viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ*, Generationi quoque Diuinæ perfectissimè conuenire, demonstrent Philosophi & Theologi: quos consulat D. V. si aliquid adhuc discere dignatur.

26. Quod Essentia DEI Patris, eadem numero, nequeat communicari Filio; probare debuit D. V. cùm eum latere non posset: toti se omnium ætatum

Christianitati in hoc aduersari: immo & DEO ipsi loquenti: Isaiæ 66. v. 9. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? an ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus.* Non ergo sterilitas, in solis illis locum habet, quorum Essentia propagari, vel multiplicari potest: esset, & in DEO: si suam Essentiam, etsi, ob eius simplicitatem, vna sit numero, communicare genito non posset.

26. Per Creationem, non generantur, veri & proprij Filij DEI: alioqui, omnes Creaturæ, etiam dæmones, essent Filij DEI: quod, D. Ionam, non puto, concessurum. Si quibus summa potestas confertur, essent Filij DEI veri, &c. esset inter eos etiam diabolus: quis enim hoc inter creaturas potentior? essent Filij DEI, dæmones: quos æquè ac bonos Angelos esse principatus & potestates, docent Sociniſtæ. Maiestas suprema, fuit in Nerone, Caligula, Herode, Achabo, &c. An ergo & hos, D. V. dicet fuisse DEI filios, veros & proprios? Si omnes credentes, & viri iusti, sunt veri & proprij Filij DEI; quis erit adoptiuus? Non est hoc cælo permiscere terram: eos pro veris, proprijsq; habere Filijs, quos tota Christianitas, non nisi adoptione nomen id sortitos censuit? Resuscitabuntur multi, in resurrectionem iudicij nunquam postea morituri: (nam mors fugiet ab eis:) An ergo & illi erunt veri DEI Filij? Deniq; quis iste singulariſſimus & perfectiſſimus modus; quo D. V. censet genitum Christum? cur eum disertè non expressit? Orbi Christiano, solus ille singulariſſimus & perfectiſſimus generationis modus est: quo Essentia DEI Patris, eadem numero, communicatur Filio: cæteri omnes pluribus communes: & imperfecti sunt.

26. Est verò inperceptibile, quomodo quis ex alieno sanguine, sine vllo suo influxu, suæq; substantiæ communicatione, aliquem verè & propriè generare possit: quomodo item DEVS Pater, fuerit B. Virgini, pro viro. Scio id Socino, Smalcioque, tam difficile intellectu visum: vt ad tuendam veram, propriamq; ex DEO generationem, commenti sint, obscænum quiddam: quod honestis parcendo auribus, taceo.

27. Vt D. Fagetanus, potuit esse, nobilis eiusdem speciei cum Patre; participando paternam nobilitatem numero diuersam; ita VERBVM DEVS, potuit esse, & est idem numero Deus: participando eandem numero Diuinitatem, quam habet Pater: iuxta illud quod dixit Ioan: 16. v. 15. *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt. Et; Ego & Pater vnum sumus.*

28. Patet ergo: & allatam similitudinem, non esse à re alienam: & loca S. Scripturæ, de Filiatione Christi in Confessione allata, non integram Christi generationem fluentemq; ex eâ dignitatem, S. literis traditam, expressisse: siquidem in ea suppressa est Generatio Filij DEI: quâ in S. literis dicitur produci

VER-

VERBVM DEVS, æqualis Patri: omnia (& ideo etiam Essentiam) habens, quæcunq; habet Pater: Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijt: concepta, & parturita ante omnia sæcula.

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS SEXTI.

Dominum nostrum.

1. NVlla est Confessio tam mala; quæ non aliquid retineat boni: ideoque aliqua sui parte laudari mereatur: esto prævalente copia errorum ei insertorum, in societatem pœnæ, etiam, si quæ habeat, bona; necessario trahat. Quid ergo mirum si liber scandalosus; &, quod pessimum; Symboli Apostolici offucijs, Christianorum corruptiuus; etsi aliquid habuerit boni, Vulcano in sacrificium cesserit?

2. Christum, esse Dominum nostrum; fatebantur etiam Gnostici: Nicolaitæ: Marcioniſtæ, alijq; Primitiuæ Ecclesiæ hæretici: quos tamen nemo Orthodoxorum, in Spiritu S. loquutos, dixerit. Nulla verò Confessio, totam Christi Dominij amplitudinem exprimit: quæ eum negat esse Altissimum DEVM: æqualem Patri: cæli & terræ conditorem. Negat enim ei infinitum bonum.

3. Circa finem; extra oleas D. V. fertur: & rei propositæ aliena, refert. Nam ego quæro: fueritnè Christus ante suam ascensionem perfectè Dominus? Fuisse perfectè Dominum; non tautologijs ego sed disertissimis S. Scripturæ Verbis, probaui. Respondet D. Vindex: *Christum ante ascensionem suam, fuisse Magistrum & Dominum nostrum, quis dubitat?* at mi Domine: dicendum erat; fuitnè tum perfectè Dominus; cùm diceret: *Vos vocatis me Magister; & Domine, & bene dicitis: Sum etenim.* Si fuit; conscientiam consule, num id tuæ fidei analogiæ consonet: si non fuit perfectè Dominus; Ergo nec perfectus Magister? quomodo ergo eius Magisterio, velut infallibili, fidendum?

4. Ait D. V. *Habuisse Christum, omnem in cælo & in terra potestatem, cùm eam sibi diceret datam, nulli dubium esse potest: qui Christo credit: Et neque, Christum esse Dominum, omnium: quorum Dominus est Pater* Atqui si ita est; non ergo, credidit Christo Smalcius: cuius verba, in Concione de ea ipsa potestate habita, fol. 27. sunt hæc: *Verba hæc, Data est mihi Potestas; ita intelligi debent: Dabitur mihi: cùm illo tempore, quo ea verba loquebatur Dominus, nondum ascenderit cælos: & non nisi, post suum in cælos ascensum, factus sit Dominus Angelorum: omniumque;*

quæ sunt in cælo. Idem docet in Monstr. & in Erroribus prolixè. Breuiùs in Examine 157. Err. vbi fol: 12. hæc verba sunt: *Ipsissima est veritas, Christum in resurrectione, non habuisse omnem potestatem in cælo & in terra. Nam vt in Examine 100. Errorum docuimus, nullam tunc in Angelos potestatem habuit: nec Spiritum S. largiri potuit, &c.* (Vide ibi. Num. 44. 45. 46. 47.) *Nam ante resurrectionem ex nostro sensu idem est quod ante exaltationem.* Relege mi Domine loca citata: & negare non poteris: Smalcium negasse: Christum tum, cùm diceret datam sibi in cælo & in terra potestatem, eam habuisse. Non credidit item Christo Wolkel. cuius verba de vera Relig. fol. 602. sunt hæc: *Christus cum hæc loqueretur; **Data est mihi omnis potestas in cælo, &c.** primitias quasdam eius potestatis habebat: quam mox postquam in cælos ascendisset, perfectissima ratione esset adepturus.*

Non credidit item Christo Morskouius: qui fol: 229. verba Smalcij approbat: dicens: Smalcium hoc solùm voluisse dicere: quòd Christus quamdiu in terris fuit; & quamdiu non fuit glorificatus, non habuit omnem potestatem in cælo & in terra: intellige, reipsa, & perfectè. Omitto alios: tu ipse Domine, tua recognosce: & vide: an non, in Antopologia, & alibi, id ipsum profitendo, Christo non credideris. Certè hic (& alibi sæpe) time: ne ex ore tuo condemneris.

5. Eodem modo; si *nemini credentium Christo, dubium est; Christum, esse Dominum eorum omnium, quorum Dominus est PATER*; non credidit Christo Smalcius, cuius verba in Refutatione Confessionis citata (ne quærendo fatigari Lectorem oporteat) en produco.

L. de Diuinitate Christi, c. 19. Lat. Edit. fol: 118. ait. *DEI PATRIS prærogatiua est* (inter alia quæ ibi refert) *in eo: quòd DEVS PATER præter ea, quæ ad Christi Ecclesiam pertinent, imperium exercet in omnia, quæ ad Christi regnum non pertinent: at Christus, tantùm populi Diuini Rex est: & in eum, propriè loquendo, & omnia, quæ ad eum quoquo modo pertinent, diuinum imperium habet.* Notetur illa particula exclusiua: tantùm. In Concione verò citatâ fol: 19. legatur: **§ Jáko o tey mocy P. Chrystusowey rozumieć;** & fol: 26. **§ Jáko o teyże mocy rozumieć.**

Non credidit item Christo Wolkel. l. citato: fol: 112. dicens: *Christus omnes cæli cursus moderari potest suo arbitrio: quatenus nimirum hoc, fidelium nationi conducit: quod quidem ideo addendum hic videtur: nequis hanc propriam & perpetuã Christi functionem putaret; & non potiùs, summi illius, rerum omnium conditoris DEI: qui vt omnia ista creauit; ita propria virtute regit: & gubernat.* Non credidit Morskouius: qui Smalcij verba, potestatem Christi disertissimè limitantia: & infra potestatem DEI PATRIS deprimentia, tuetur fol. 259. & 260.

Iamnè

Iamnè mi Domine agnoscis, detectam tuæ Confessionis impostúram? vides quàm absurda tui Cætus dogmata subticueris; vt Symboli Apostolici reti, in Socinianæ hæreseos nassam, Christianorum traheres animas? Facis tu quidem ingeniosè: quòd quæ defendi non posse aduertis; silentio sepelis. Sed nihil agimus: faciet enim DEVS, vt hæ noctuæ, nolint, velint, protrahantur in lucem.

TRVTINA VINDICIARVM.
CAPITIS SEPTIMI.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto.

1. SI Christus nudus homo non est; si ab ipso sui conceptu, Diuinus DEIque Filius ideo dicēdus; quia SPIRITV SANCTO repletus fuit; etiā Hieremias, & Ioannes Baptista non fuerunt nudi homines: Diuinique, DEI Filij dicendi sunt: cùm eos, ante suam Natiuitatem fuisse sanctificatos, & SPIRITV S. plenos, S. literæ testentur. Non fuere nudi homines omnes Apostoli, saltem postquam repleti sunt SPIRITV Sancto: non sunt puri homines, omnes fideles, & iusti: quos SPIRITV S. plenos, etiam Sociniſtæ agnoscunt. At quid est verborum euertere significationes, si hoc non est? Primitiua Ecclesia, nudum, vel merum hominem, eum omnem dixit: qui præter humanam naturam, non haberet Diuinam.

2. SPIRITV S. repleri, nec tamen habere vsum rationis, tam prudenter dicitur, quàm si quis diceret, aliquem Sole amictum non lucere: habere Spiritum Sapientiæ, nec tamen esse Sapientem: inexistentem sibi habere albedinem, nec tamen esse coloratum. Certè S. Ioannes, ob præsentiam SPIRITVS Sancti non caruit vsu rationis: teste Euangelio. Quid ergo dicendum de Christo? Corroboratio, ad rationis, vsū, ipsiusq; Spiritus S. cōmunis est omnib⁹ infantib⁹: quos tamen nemo dixerit; SPIRITV S. repletos. *Crescens* (inquit D. V.) *Christus corroborabatur Spiritu.* At quid hoc ad propositum? quæritur: an Christus, ab eo tempore, quo repletus fuit SPIRITV Sancto, habuerit vsum rationis: cùm contradictorium videatur, aliquem infantem repleri Spiritu Sapientiæ. (qui certè SPIRITVS S. est) nec tamen plus, quàm brutum sapere. Est autem ea quæstio vtilis & necessaria: (esto eam carpat D.V.) vt sciamus: an DD. Sociniſtæ credant, Christum, à suo Conceptu, fuisse Sapientiam primogenitam ante omnes creaturas: & VERBVM plenum gratiæ & veritatis: maximè, quòd

Smalc. l. de Filio; fol: 80. doceat: *non legi in S. Scriptura, quòd Christus infans fuerit plenus SPIRITV S.* Vbi etiam negat Christum in infantia fuisse Sanctitate præditum: & Sanctitatis distinctionem in actualem & habitualem, tanquã vanam, improbat: & reijcit. Idem in Monstris, loco citato, *Christum infantem*, ait, *non fuisse maiori Sapientia plenum, quam, quantam ætas capiebat infantilis*, quæ Confessioni obiecta, dissimulauit D. Vindex.

3. Verborum illorum Hieremiæ; *Nouum fecit Dominus super terram: Fœmina circumdedit Virum*; non exagito glossam Domini Vindicis: etsi, è collato Verborum nexu, facillimè id præstare possem. Sufficerit dicere: Aliter SS. Patres: S. Cyprian. Augustin, Bernardus, Hieron. S. Thomas, & è RR. Richel. Vatabl. alijque citatia à Christophoro Castrio in hoc loco: quorum interpretationes, vt glossis quorundam Rabbinorum, (quos delirare, ait Maldonatus, in ea ipsa verba scribens;) posthabeam; persuaderi non possum. SS. PP. vestigia secutus: dico: per virum, intelligi Christum: etsi in corpore infantili virili Sapientia plenum: qui etiamnum infans, vtero materno inclusus, seu, (vt loquitur Apostolus) ingrediens mundum, se hostiam pro peccatis nostris obtulerit: dicens: *Sacrificium & oblationem noluisti: corpus autem perfeciſti mihi: tunc dixi Ecce venio: &c. vt faciam DEVS voluntatem tuam:* quæ verba dicta esse à Christo infante: in ipso puncto Incarnationis, docent & probant hîc S. Thomas, S. Anselmus, eosq; secuti Interpretes: Ribera, Salmeron, Iustinianus, Cornelius &c. &c. quia in illo ipso puncto (ait hîc Cornel.) habuit Christus actum; vti rationis; quo DEVM, omniaque iam dicta cognouit: ita & voluntatis, obedientiæ, & oblationis: quo se, & mortem suam, laboresq; & ærumnas, omniaq; sua DEO in pretium pro nostra salute obtulit: atq; hunc oblationis actum vsq; ad mortem continuauit: ita vt tota vita Christi fuerit continuata oblatio: de quo prolixiùs Theologi in 3. p. Sed quæ dixi, sufficiunt; ad refellenda ea, quæ D. Ionas in Commentario horum Verborum adducit: nulla enim ab eo affertur ratio legitima: quâ probet, Christum infantem, nec dicere id, nec facere potuisse: quæ verò affert; putida sunt Socini commenta: quæ Communi Doctorum Sententiæ præferre, non est sapientis.

4. Etsi verbis Smalcij, addantur illa; *Singulari ratione*; tamen Confessioni non deerit impostura. Nam Confessio dicit: Christum absolutè Diuino Spiritu repletum: Smalcius autem dicit: *repletum impropriè.* Si autem Christus est impropriè, & in sensu Smalcij, Spiritu S. repletus; Ergo eo non aliter fuit repletus; quàm, cæli, elementa, animalium species, quæ singulari ratione, ab ipso DEO reguntur: & diriguntur.

5. De

5. De S. Ioanne Baptista, Isaaco, & alijs; supra actum est: ostensumque: Christo non conuenire nomen Filij vnigeniti: ob Filiationem; quæ recensitis personis communis sit.

6. Quo pacto Christus filius sit Dauidis, nec Confessio, nec Vindiciæ explicant, consonè Confessioni, à Cœtu Racouiensi, Regi Sigismundo Tertio, per D. Palatinidam Podoliæ, præsentatæ: vbi expressè dicitur: Christum appellari Filium Dauidis, etsi natus est ex Virgine, quæ non erat ex ea familia; quia natus est ex ea, quæ fuit desponsata viro ex familia Dauidis oriundo. Author Resp: ad Orthod. Quæst: non habet hæc verba: *& sic per Ioſephum Dauidis.* Assumentum est Domini Vindicis: quod, non moror.

7. Verba Christi; *Si Dauid vocat eum Dominum quomodo Filius eius est?* non bene D. V. explicat. Nam neq; tum, cùm id diceret Dauid, neq; cùm per hæc verba Iudæi confunderentur; resurrexerat Christus. Quomodo ergo verba Christi, ita intellecta, Conclusionem inferrent adeo conuincentem; vt os Iudæis, (vtinam & Sociniſtis:) obstruxerint?

8. Quòd Christus sit verus homo; quid pertinet ad esse conceptum de Spiritu Sancto? Num verus homo non fuisset; nisi de eo fuisset conceptus? Verissimè dictum est, pleraque Sacræ Scripturæ loca in Confessione adducta esse; quæ ad Conceptum de Spiritu Sancto, nihil omnino pertineant.

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS OCTAVI.

Natus ex Maria Virgine.

1. GRatiam, quam habui D. Ionæ, ob habitum honorem Beatissimæ Deiparæ; tantò libentiùs repeto: quantò pauciores Sociniſtarum video: qui ei, vel Beatæ titulum tribuere dignentur. Author Centuriæ Cæsæ, Dæmonographus, quoties eam nominant, subtracto elogio Beatæ! Esse Sanctissimam, disertissimè negarunt Smalcius, Bebelnius, Nicolaides: omnes eius honorem, & inuocationem impugnant. Non ergo, meam de eius honore dissertationem vni alicui Scriptori, sed toti cœtui Sociniſtico, obieci.

2. Reginam cælorum, quidni dicamus, quæ genuit Regem cælorum? quod D. V. maluit improbare verbis; quàm impugnare argumentis.

3. Honores ei DEI Matre dignos deberi; probaui in Refut. Confessionis: & in libello contra dæmonographum edito. Doctrina Apostolica est.

Cui honorem; *honorem*: & ipsi Sociniſtæ, Regibus quãtumuis impijs, Diuinos decernunt honores: eoſq; credunt eſſe veros Deos: cur non ergo nos, ei Virgini quam DEIPARAM eſſe nouimus, tribuamus honores DEI Matre dignos? cuius tamen honoris menſura non eadem eſt: quæ Chriſti. Nam Chriſtum honoramus vt Patrem: atq; ideo honore Diuino: Beatiſſimam verò Virginem honoramus honore debito Sanctis: etſi maximo in eo genere: vt pote ei quàm SS. PP. in Sanctitate, chariſmatumq; cæleſtium copia, non hominum ſolùm ſed & Angelorum omnibus prætulerunt.

4. Sociniſtis, non id vitio vertitur: quòd tali honore honorent Chriſtum, quali nos honoramus DEIPARAM: ſed, vel quia eum cultum appellant Diuinum, qui Diuino eſt tantò minor; quantò creatura omnis eſt minor Deo: vel quia, Chriſtum, non honorant vt DEVM PATREM: quod ſe facere debere ex Euangelio didicere.

5. Excuſari nequeunt: qui honores debitos Deiparæ negant. Audient in nouiſſimo die, ſibi ab eius FILIO eorum Iudice dici: *Nunquid & vos, ſine intellectu eſtis*: qui Matrem meam nullo dignã honore iudicaſtis: cùm tamen docereris; etiam Neronibus, & Pilatis, Diuinos eſſe exhibendos honores?

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS NONI.

Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.

1. NOn capio: quem nexum habeat promiſſum vitæ æternæ, aliorumque, quorum hîc, & in Confeſſione D. V. meminit; cùm hoc Symboli Apoſtolici articulo: *Paſſus ſub Pontio Pilato &c.* Videturque hoc totum eſſe, μηδὲν πρὸς πρᾶγμα.

2. Negare; Sanctis veteris legis, promiſſam eſſe vitam æternam; eſt in Sectam Manichæorum recidere. Nam Fauſtus Manichæus, in oppugnatione legis veteris, hæc inter alia obijcit S. Auguſtino: *Accipis teſtamentum vetus? ſi eſt mihi hæreditas in eo, accipio: ſi non eſt; non accipio. An ignoras, teſtamentum vetus Chananæorum terram promittere Iudæis, &c. Miſera eius, & longè ab animæ commodis hæreditas eſt: vt poſt beatam illam, Noui Teſtamenti pollicitationem, quæ cælorum mihi regnum & vitam perpetuam promittit, etſi gratis eam mihi ſuus teſtator ingereret; faſtidirem.* Iudicent DD. Sociniſtæ: an non hæc ipſiſſima ſint verba, Socini,

cíni, Smalcij, aliorumq; sui Cætus Ministrorum. Quid verò ad hoc Augustinus? Respondet loco à D. V. citato: *Temporalium quidem rerum promissiones, testamento veteri contineri: sed tamen in illis temporalibus, figuras fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis: in quos fines seculorum obuenit.* Implendas ergo in nobis, vitæ æternæ promissiones, ait S. Aug. non tamen nobis primùm factas. Pergit: *Vt præsens functio corporalis, ad significanda noua ventura, pollicitationibus veteribus præbebatur; ita Patriarcharum, non tantùm lingua, sed & vita Prophetica fuit. Sed vos ista non intelligitis: quia, vti Propheta dixit, nisi credideritis, non intelligetis. Non enim estis eruditi in regno cælorum: id est in Ecclesia Christi vera Catholica.*

3. Cæterùm vitam æternam, remissionem peccatorum, Spiritus S. effusionem, etiam SS. Patriarchis, & Prophetis, alijsq; iustis hominibus, antiquæ legis, fuisse promissam; multis S Scripturæ locis demonstraui. Et quidem Spiritus S. effusionem, clarissimè esse, in antiqua lege promissam, negare hîc non potuit D. V. quod tamen in Confessione negauerat: addit tamen eam ita promissam, vt non nisi in Christo, & per Christum effectum esset habitura: quod ego quoque verissimum esse fateor: & hoc ipsum, de promisso vitæ æternæ dicendum censeo. Remissionem peccatorum vniuersalem, omnibus omnino pœnitentibus, Ezech: 18. & 33. promissam esse; conuincunt illa verba; *Omnia peccata eius non imputabuntur ei: Omnium iniquitatum eius non recordabor, &c.* Quæ enim clarior dari potest, vniuersalissimæ peccatorum remissionis promissio?

4. Resurrectionem & vitam æternam, promissam esse Patribus antiquæ legis, tum verbis Tobiæ, & Salomonis, tum verò Apostolicis probaui: quibus nunc addo verba S. Pauli Rom: 9. v. 4. *Optabam esse anathema pro fratribus meis: qui sunt Israelitæ; quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & promissa, &c.* Vbi Cornel: *Omnes* (inquit) *promissiones* DEI, *primò & ante omnes alias gentes, spectant ad Iudæos: quarum maxima est: Messias: vel redemptio: iustitia & salus, præstanda per Christum: quæ omnia,* (ait S. Remigius, in eadem verba scribens) *promissa sunt Patribus: vt complerentur in filijs.* Citatis à me S. Scripturæ verbis ex Lege & Prophetis, cùm nihil posset D. V. respondere; remisit me ad quosdam suos: qui ea ostenderint, ad rem non facere. Nominare eos debuit D. V. ne videretur, cùm argumentum soluere non posset; eludere voluisse.

5. Libros Tobiæ & Sapientiæ, Apocryphos, non priùs dicere debuit D. Vindex; quàm probasset. cùm præsertim, non latuerit eum; vtrumque librum pro Canonico habitum, à SS. Patribus Primitiuæ Ecclesiæ: quos prolixè refe-

runt Nostri: Serarius, & Bellarminus: & alij. Nec obstat, quòd vterq; absit à Canone Hebræorum. Rectè enim S. Augustin. l. de Ciu. 18. c. 36. ait: *Non unt omittendi & hi libri: quos ante Saluatoris aduentum constat esse conscriptos: sed eos non receptos à Iudæis, recipit eiusdem Saluatoris Ecclesia.* Viderit ergo D. V. Iudæosnè, an Ecclesiam Christi sequi debeat: & insuper audiat: quid S. Aug. de libro Sapientiæ censeat, l. 1. de Prædest: c. 14. *Non debuit repudiari Sententia libri Sapientiæ: qui meruit, in Ecclesia Christi tam longa annositate recitari: & ab omnibus Christianis, cum veneratione Diuinæ authoritatis audiri.* Et infra. *Oportet: vt eum librum Sapientiæ, omnibus tractatoribus anteponant: quoniam sibi eum anteposuerunt, etiam temporibus Apostolorum proximi tractatores: qui eum testem adhibentes nihil se adhibere nisi Diuinum testimonium crediderunt.* Cum ergo in nis libris Tobiæ, & Sapientiæ, (addo & Danielem) clarissima contineatur vitæ æternæ promissio, quis eam Patribus Veteris Legis, audeat negare?

6. Sed, verbis potissimum Apostolicis, ceu petræ firmissimæ insisto. Ea, si potest, D. V. impugnet. Aiebant illi: *Annunciamus vobis, eam quæ ad Patres nostros repromissio facta est.* Et: *In spe, quæ ad Patres nostros facta est, repromissionis, ego* (ait Paulus) *iudicio sto subiectus.* Cuius verò repromissionis spes illa sit, si non, resurrectionis & salutis, per Christum obtinendæ? Certè, cùm hæc diceret Paulus, iam non erat in spe aduentus Christi: cuius ergo? quæ nam illa spes; si non salutis obtinendæ per Christum? quæ ab eodem Apostolo dicuntur, confirmatæ per Christum promissiones? si non illæ; quas, idem Apostolus, Abrahæ factas memorat: Hebr. 13. & seqq. Verbis adeo claris; vt, tu ipse Domine, veritatis fulgore perstrictus, tuæ sis coactus refragari sententiæ: fateriq́ue: (in Comment: Epistolæ ad Hebr: fol: 268.) Abrahamo & semini eius, promissam esse hæreditatem, non solùm terræ Chananeæ, terrenamq́; felicitatem; sed & hæreditatem perfectæ iustificationis, & immortalis vitæ? Immò eiusdem Epistolæ, c. 11. pressus argumentis, coactus es, tibi contradicere. Nam postquam ibi v. 13. legisses, veteres PP. iuxta fidem esse defunctos, non acceptis repromissionibus; hospiteq́; se in terris confiteri fuisse solitos; patriamq́; quæsiuisse; idq; sat prolixè trahere conatus esses, ad terrenæ patriæ inquisitionem; tandem fol: 534. verborum Apostolicorum splendore, mentis tenebras, à concepta opinione enatas, discutiente, ita loqueris. *Demonstrat* (Apostolus) *ipsos*, (veteris legis fideles) *nihil cogitasse, de Patria illa, ex quâ primùm Abraham iussu DEI emigrauerat.* cùm autem ventum est ad illa verba; *Nunc autẽ meliorẽ expetunt*: seu (vt bene interpretaris) *expetierũt: id est cæleste*; hæsit tibi aqua: &; versas te in omnẽ partem, ceu piscis in nassa. Dixeras

fol: 534. & 535. *SS. Patres, nequidem cogitasse de patria, ex qua Abraham migrauerat: sed meliorem, id est cælestem, expetijsse: & quæsiuisse:* cùm tamen, & supra fol: 523. contra diserta S. Scripturæ verba v. 10. *(Expectabat Abraham fundamenta habentem ciuitatem, &c.)* negasses, Abrahamum æternam vitam & felicitatem speransse: & infra fol: 536. dicas: Abrahamum alioqui; PP. non expetijsse patriam cœlestem: sed verbis S. Scripturæ, ais solùm significari: patriam cælestem eis fuisse destinatam, etsi eam illi possidere non intenderint. At, quid quæso est aduersus solem loqui; aureq; occludere clamosæ S. literarum voci; si hoc non est? vide mi Domine: quàm facilè hîc palam faeere possem; futiles tuas glossas, nõ verbis solùm, sed & cõtextui Scripturæ aduersari: nec earum aliam esse rationem, quàm mentem, conceptæ opinionis, proteruè tenacem.

7. Dicit Apostolus, *Veteres PP. defunctos non acceptis repromissionibus.* quibus? quas expectabant: quas expetebant: quas ergo expectabant? *Fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor DEVS.* quas item expetebant? quas inquirebant? *Patriam Chananæa meliorem; id est, cælestem: ciuitatem: quam eis parauit DEVS: cuius desiderio veteres PP. peregrinos se & hospites super terram, dicebant.* Hæc legeras Domine: & vrgente vi veritatis, fassus es, eos, ne quidem cogitasse de patria illa, ex qua migrarant: sed meliorem; id est cælestem appetijsse: & animi votis ac consilijs quæsiuisse: quomodo ergo tibi non contradicis; cùm alibi doces, è S. literis id solùm haberi; quòd terrenam expetierint felicitatem? poterãtne dici, eam expetijsse, quæ, teipso testante, nec quidem, in eorum venerit cogitationem? Cætera strictim persequor. Vide; an non ampliùs vrgere te possem: quòd cùm Apostolus v. 39. apertè dicat: *SS. Patres non accepisse repromissionem,* id est; (vt tu ibidem interpretaris) *promissam vitam æternã:* eam tamen eis negas esse promissam. quomodo dici posset; non accepisse eos vitam æternam promissam; si non esset promissa? vrgere te item possem, verbis tuis, in Commentario Epistolæ ad Galat: fol: 202. vbi pressus verborum S. Pauli claritate c. 4. v. 28. *Nos autem Fratres, secundum Isaac filij promissionis sumus:* ais; *Ea ita sumi posse: vt significent, nos Christianos, esse hæredes promissionis Diuinæ, Abrahamo, eiusq; semini factæ.* Quæ verò ea promissio? respondes: fol: 124. & 126. *Hæreditatem mundi futuri: Abrahamo & semini eius promissam: non per legem, sed per fidem obtinendam.* Si ergo nos hæredes vitæ æternæ Abrahamo & semini eius promissæ; quomodo quis dicere potest, eam nec Abrahamo, nec Isaaco, nec alijs VV. Patribus promissam?

8. Tuum

8. Tuum argumentum, ſumptum ex Hebr: 8. v. 6. clariſſimus Theologus, P. Alphonſus Salmeron, in Commentario eorummet verborum; ita proponit: *Quomodo in melioribus promiſſionibus ſancitum eſt nouum Teſtamentum: cùm eadem veteribus, perinde ac nobis ſpes vitæ æternæ, & gratiæ promiſſio propoſita ſit:* Et reſpondet: *Comparatio Pauli, ad formam potiùs ſpectat, quàm ad materiam. Etſi enim DEVS eandem veteribus promiſerit ſalutem, quam hodie nobis; non tamen eâdem, aut æquali menſurâ.*

9. Idem diſtinctiùs docet ibidem P. Iuſtinianus. *Etſi* (ait) *eadem omnino promiſſa VV. Patres manebant, quæ nunc debentur iuſtis: lex tamen vetus, vi ſua ſuorumq; ſacrificiorum poteſtate, cæleſtia bona præſtare non potuit.* (idq; ſolùm voluere Bellarminus: & alij, contra me, citati Authores.) *Accedit: quòd noui Teſtamenti promiſſiones, & apertiores ſint: & maioribus innixæ præſidijs, etc. Cunctis enim fidelibus, ſi diuina gratia præditi, diem claudant extremum, aditus in cælum patet: qui veterum nemini, ante Chriſti aſcenſum patebat.*

10. Eodem modo explicantur verba illa, c. 11. v. 39. *DEO pro nobis prouidente aliquid melius:* quia *ſcilicet VV. PP. nulla, ſui parte, poſt mortem ſalutis fiebant participes: in quo nos meliori conditione fruimur; qui, ſi purgati ex hac vita decedimus; mox, animo beatitudinem attingimus, eſto eius, in corporibus conſummationem, ſimul cum eis expectemus.* Et per hæc omnes D. Vindicis machinæ euertuntur: & mea ſolutio, quam in Refutatione Confeſſionis attuli, confirmatur. Nouum Teſtamentum optimè dicitur ſancitum in promiſſione meliore: dum dicitur ſancitum in promiſſione beatitudinis cæleſtis, ab animabus iuſtis mox à ſuo è corpore egreſſu, conſequendæ; quod promiſſio veteris Teſtamenti non habuit.

Porro ſequuntur multæ de me querelæ: ſed iniquiſſimæ.

11. Queritur primò: quòd Antiuuieco Polono corruptionem Scripturæ obiecerim: quam is in lapſum typographi refert. Quod ne credam; contextu argumenti Sociniani perſuadeor. Verba eius ſunt: *Sam P. Chryſtus powiedżiał: że ná ten czás, przyidżie z wielką mocą y Máieſtatem,* Mat: 24. v. 30. *á ná inſzym mieyſcu z chwałą Oycá ſwego. A iż ten wſzytek Máieſtat do ſámego Bogá (Oycá) oſobliwie należeć ma, á iż P. Chryſtus, nie ieſt onym Bogiem: doſyć to ſam pokazał, mowiąc: iż bedżie widżiány Syn człowieczy, ſiedzący po práwicy mocy Bożey przychodzącey w oblokách niebieſkich.* Superius autem poſuerat hanc theſim, *Iáwna rzecz ieſt: iż Pan Chryſtus imieniem Bożym, y mocą Bożą, świat ſądzić bedżie: záczym cokolwiek Máieſtatu bedżie w onym ſądzie, to wſzytko wprzod y oſobliwie, do BOGA ſámego ściągáć ſię bedżie.* Hæc theſis, & eius probatio, omnem excutiunt ſuſpicionem lapſus typographi. Neq; enim Socinus probaſſet intentum: ſi, Chriſtum, in ſua gloria ven-

ria venturum (vti docent Euangeliſtæ) fateri dignatus fuiſſet: &, illæſum Euangelicum textum reliquiſſet. Si tamen is reſipuit: & in Antiuuieco Latino, (quem non habeo) aliud ſcripſit; Deo gratias.

12. Queritur ſecundò: quòd Confeſſioni eius, lociſq; S. Scripturæ, ab eius Authore productis, obiecerim impoſturam. At immeritò. Sum paratiſſimus: non humano ſolùm, ſed & Diuino tribunali probare: quæ dixi: eamque Confeſſionem oſtendere, nihil aliud eſſe: quàm aureum poculum, potu plenum venenato: eò pernicioſius, quo ſpecioſiore artificio, plures ad lethiferum potum hauriendum pelliciat. Probare id inquam, ſum paratiſſimus, non ſolùm ex eis, quorum ſcripta citaui: (etſi id ſufficeret: cùm Primatum cætus, qui etiãnum à Domino Vindice defenduntur, verba citauerim;) ſed etiam ex Antopologia, Antiwelknero, Expoſitione locorum S. Scripturæ, alijſq; libris D. Vindicis: in quibus multa hæretica, totiq; Chriſtianitati diſſona dogmata continentur: præſertim de Redemptione Chriſti: quæ tamen, ſubdolè Confeſſio ſubticuit; ea nihilominus propinatura omnibus, quos Symboli Apoſtolici, Verborumq; S. Scripturæ illecebra, in ſuas caſſes pellexerit.

13. Quæ, ex Socino, & Smalcio, impietatis eorum & blaſphemiæ argumenta produxi; inficiatio D. Vindicis non infirmat: immo eum accuſat calumniæ: vel mendacij. Ait is hîc fol. 127. *me Smalcio aſſinxiſſe, impium & blaſphemum ſenſum.* At ecce, mi Lector, tuo me iudicio ſiſto: atq; vt agnoſcas, D. Vindicem, deficiente veritate, ad calumnias & mendacia recurrere; verba Smalcij etiam cum antecedentibus, (ne de truncis particulis aliquis queratur) produco. Ait is l. de Diuin. fol. 63. *Morti Chriſti, ſæpe id tribui, in Sacris literis, quòd morte tantùm interueniente,* (notentur & expendantur ea verba) *eam conſecutæ reſurrectioni, & potentiæ Diuinæ IESV Chriſti tribuendum erat: demonſtrandum nobis eſt.* Agnoſce Domine V. ſcopum differentis Smalcij: vt de probationibus rectum iudicium feras. Adductis ergo duobus S. Scripturæ locis, adducit locũ: quo id, probare ſe poſſe cuiuis pertinaciſſimo dicit. *Author* (ait) *Epiſtolæ Hebr: ait: Quoniam pueri participarunt carnem & ſanguinem & ipſe ſimiliter participauit eadem, vt per mortem aboleret eum, qui habebat imperium mortis, id eſt, diabolum &c. Quomodo verò diabolus, qui mortis habere imperium dicitur &c. per mortem ipſam Chriſti, abolitus fuit: cum potiùs per eam* (adhibe D.V. perſpicilia: & mecũ ea verba relege:) *ipſe & imperium eius fuerit ſtabilitum.* quod ipſum repetens l. de Filio f. 275. ait: *Scriptura docet Chriſtum morte ſuâ fuiſſe deſtructum.* Vide iam D. Vindex, an non hic Æthiopem laues, tuorumq; tuendorum ſtudio, turpi te mendacij fuligine denigres. Vides, à Smalcio nihil in negotio ſalutis, morti Chriſti tribui: & apertè docere, Chriſtum morte ſua eſſe

à diabolo destructum. Quid ergo me hîc affinxisse Smalcio dicis? Non præstiterat hominis impietatem indefensam relinquere: & amore mortis Christi, grauissimum Smalcij errorem anathemati subijcere?

14. Queritur tertiò: (omissis multis, quæ Socino, Smalcioq; obiecta purgare non potuit: adeoq; suo ipso silentio damnauit:) queritur inquam: quòd dixerim: à Sociniſtis doceri: Christum, non esse proprium sed Metaphoricum Redemptorem. At immeritò. Nam, quid quæso aliud sonat, ille Socini p. 2. c. 2. titulus. *Explicatur diligentiùs, tota Redemptionis nostræ per Christum Metaphora, &c.* & verba illa; *Vt hanc pretij translationem, totamq; simul, in liberatione nobis per Christum partâ, Metaphoram intelligamus:* & ibidem in margine: *Veræ Redemptionis partes: ijsq; totidem in* **Metaphorica nostra per Christum,** *respondentes.* Denique tota tria Socini, eius partis capita, nonne omni conatu Metaphoricam tuentur Redemptionem! Expresè item Metaphoricam Redemptionem profitetur Catechismus Racouiensis, fol: 280. Deinde nonne expresè Smalc: de Filio, fol: 297. ait: Veram esse Redemptionem nostram, sed non propriam? Nonne eandem Metaphoram tuetur Wolkel, fol: 97. & 572. Tu ipse Domine, non meministi, quæ in Antopologia scripseris? Instantiam, hîc à te allatam elidit Socinus, p. 2. c. 1. fol: 70. *Propriam,* (ait) *verbi* redimendi) *significationem intelligo: cùm verum pretium interuenit. Verum autem pretium voco, non pecuniam tantùm,* (vti vult D. V.) *sed quidquid, vt ei qui captiuum detinet, satisfiat; detur: etsi alioqui multa Metaphorica, in eiusmodi etiam redemptione reperiantur.* Et verò, verissima & proprijssima Redemptio fuit: cùm S. Paulinus Nolæ Episcopus, se pro redimendo filio cuiusdam Viduæ, Vandalis captiuum obtulit: Verissima & proprijssima Redemptio est: cùm aliquis, è Religione Redemptionis Captiuorum, ex sui voti præscripto, pro aliquo captiuo liberando, in seruitutem se Turcæ, vel Mauro alicui tradit.

15. Redemptionem per lytron, antilytron, apolytrosim factam, significare liberationem, probare debuit D. V. cùm has voces, vti sonant, proprijssimum redemptionis pretium significare, agnouerit etiam Socin. Præl: Theol. fol. 109. ideoque dicat, fol: 119. *Apostolos, voce ἀπολυτρωσεος, quæ propriè Redemptionem significat, pro expiatione,* (nota modestiam Socini, Apostolorũq; Venerationem) *abusos fuisse.* Quod quia non fecit; licebit interea ire inficias. quæ autem, ad impugnandam Catholicæ Redemptionis fidem, ex Socino affert, alibi DEO volente, nîmirum in Speculo Sociniſtarum, trutinabimus. Nunc vnum dico: eos, qui remissionem peccatorum censent ita gratuitam: vt ad eam obtinendam, nec merita, Christi, nec labores, nec passio, nec mors, quidquam contulerit: (Vt inter alios docet Cat. Rak. fol: 268. & seqq.) facere Chtistum, minùs

quam

quàm Metaphoricum Redemptorem; omnemque, eius passioni & sanguini, rationem lytri detrahere.

16. Queritur quartò: & quidem atrociter: quòd, quasi (nec enim verum est quod obijcitur) ex meo priuato sensu dixerim: Sociniſtas, non aliam Christi sanguini, salutis nostræ causalitatem tribuere, quàm quæ tribui possit traditioni Iudæ, odio Pontificum, tyrannidi tortorum, &c. At hoc quoq; non solùm immeritò: sed & falsò. Non enim ego (vti me D. V. calumniatur) hominum pessimorum scelera, cum Christi innocentissimi perpessionibus confero: sed quid, è Socini, Smalcijque axiomatibus sequatur, indico. Sisto in eorum verbis; *intercedente morte, passione, sanguine.* Sisto in illis verbis (quæ D. V. suppressit; quibus dictum est;) *Christi sanguinem, eiusq; vulnera, per se considerata, non plus valere, quàm vulnera, vel dolores alicuius belluæ:* quibus dicitur nugatoriè dici: *sanguinem Christi vim habere tollendi peccata: inq; DEI honorem fusum, & impensum esse:* quibus dicitur (vt alia, quæ recensui præteream) *non alia ratione sanguinem Christi causam esse effectricem remissionis peccatorum, quàm quod DEVS sine illo salutem perfici noluerit.* Istud, istud ipsum, tuam Domine V. apologiam euertit. En expressissimè legis: non alia ratione sanguinem Christi, (idem alibi de Passione & morte dicitur: vbi nonnisi interuentionis eis causalitas tribuitur à Socino & Smalcio: quos sequitur Cat Rak. fol: 279.) causam esse effectricem, remissionis peccatorum, & (vt alibi additur) salutis; quàm quod DEVS sine illa salutem perfici noluerit. Si ergo, *Non alia ratione, Christus est causa effectrix nostræ salutis*; Ergo non aliter nostræ salutis est causa, quàm quomodo eiusdem; traditio Iudæ, odium Pontificum, tyrannis tortorum, fuerit causa. Constat enim, DEVM sine his salutem nostram perfici noluisse: vt disertè docent Apostoli: Luc: 22. v. 22. Act. 2. v. 23. & ipsa Passionis Christi Historia. Miseret me tui Domine: quem, Deo teste, syncerè amo: non (vti tu me) nesciendo quare; sed ob aliquem, ab omnibus alioqui alijs Sociniſtis negatum, exhibitum DEIPARÆ honorem: miseret me tui, inquam: quòd ea defendas: quæ intus, vti, fortasse non falsò, arbitror; execraris. Scio te Conclusionem eandem sequi: modos tamen loquendi Sociniſticos, & Smalcianos, de pretio sanguinis & mortis Christi, me in tuis scriptis legisse non memini.

Atq; ideo, si verè, (vti scribit Dominus) vulnera Christi, suæ esse animæ salutem agnoscit; sanguine se Christi, si redemptum & expiatum, (procul omni æquiuocatione) credit; sit Nomen Domini benedictum. Id tamen, nec agnouere, nec credidere Socinus, & Smalcius: quorum vterque, locis à me in Opusculo quod refellitur, citatis, docuit: *Christi vulnera per se considerata, non plus valere quam vulnera alicuius bestiæ: & in hoc conuenire, cum sanguine brutorum*

animalium, sub Lege oblatorum: quòd eodem modo nunc peccata sanguine Christi expiantur; quo olim sanguine animaliũ, expiabantur. Legat, studiosus veritatis Socinista, Smalcij Examen 150. Errorũ à fol: 16. ad 25. agnoscet ibi multò adhuc minùs vulneribus, passioni, sanguini, morti Christi tribui: quàm, quod ego dixerim. Hìc solùm, verba Socini Præl: Theol. fol: 118. adycio. *Mortis* (inquit) *& sanguinis Christi, in nostra liberatione, in S. Literis mentio fit: vt DEI, ipsiusq; Christi charitas erga nos commendetur: non autem vt nos alicuius virtutis occultæ, quæ, ex sanguine & morte Christi fluxerit; admoneamur.* Iudica iam Domine Vindex: an Socinus censuerit, vulnera Christi, esse suæ animæ sanitatem, & salutem: & sanguinem Christi suorum peccatorum expiationem.

17. Scriptorem Confessionis, cùm nullam mentionem Redemptoris Christi feciſſe dixi; locutus sum de Redemptore per lytron, antilytron, apolytrosin: cuius in Confessione, nulla facta est mentio: nisi me fallit memoria: nam librũ Confessionis, à Domino Wisowati mihi ad refellendum oblatum, postquam, cum Refutatione reddidissem, nusquam ampliùs vidi. nullius ergo iniuriæ D. Vindici factæ, mihi conscius sum.

18. Christum ideo mortuum esse, inter alios fines; vt spem nobis Vitæ æternæ insereret; non negaui. illud solùm, fol: 41. dixi: euidenter falsum esse, quod dixit Smalcius: *Christum ideo pro Nobis mortuum, vt crederemus vitam æternam datum iri fidelibus.* Falsum id esse, neq; D.V. dubitare potest: non nescius: etiam ante mortem Christi, Tobiam, Dauidem, S. Ioannem aliosq; homines iustos, credidisse: vitam æternam datum iri fidelibus: eamq; speraſſe: sæpiusque cum Tobia dixisse: Filij Sanctorum sumus: & vitam illam expectamus, &c. Addo, quòd Smalc. diserte doceat l. de Diu. fol: 63. *quòd si Christus mortuus fuisset, & non resurrexisset, spem nobis omnem felicitatis æternæ eripuisset.* Quomodo ergo, ideo mortuus est, vt spem nobis vitæ æternæ insereret? Mortuus quidem est, vt liberaret eos, qui metu mortis per totam vitam subiecti sint seruituti: at hoc non est spem vitæ inserere, sed vitam ipsam conferre. Aliter de hoc disserit Theophilactus *Mortuus est Christus: vt mortis terrorem partim leniret: partim tolleret. Nam post mortem Christi, iam mors non est terribilis, sed optabilis: vt pote finis laborum & requiei initium: cùm tamen, ante eam, qui mortem obibant, vinculis constricti tenerentur: eò quòd nullus eis aditus pateret in cælum.*

19. Spem resurrectionis maximè niti resurrectione Christi; probare debuit D. V. cùm non ignoraret oppositum in S. literis legi. Habuere spem certam resurrectionis, Martyres Macchabæi: 2. Mach: 7. v. 9. & 14. Habuit eandem spem Iudas Mach: 2. 12. v. 43. & 44. etsi nec illi, nec iste, vidissent Christum resurgentem. Ante visam Christi resurrectionem, fratrem resurrecturũ credidit

credidit Martha: credidere omnis illi, fideles resurrecturos: qui fidem habuere Christo loquenti, Ioan: 5. v. 29. & 6. v. 39. 40. 44. 54. & Sadducæos de mortuorum resurrectione docenti: Lucæ 20. v. 37. Marci 12. v. 26. ibidemque dicenti, futuram mortuorum resurrectionem, etiam Moysem agnouisse.

20. Turpiter verò, D. V. corrumpit scripturam: cùm dicit; *Christum ideo mortuum, vt ex morte resurgens, lucem primus annunciaret populis.* Vocem enim, *Primus* non verbo *annunciaret* sed vocibus illis *ex morte resurgẽs*, iunxit Apostolus: vt sit sensus: Christum primum à mortuis excitatum esse, quem adhuc infantem, Simeon vocauit lumen gentium: qui ante suam mortem, & resurrectionem, lucem Euangelicam intulit mundo. vt hic D. V. non solùm Scripturæ, sed & manifestissimæ veritati, vim intulerit. At *quis* (ait D. V.) *Patriarchas, & Prophetas sine spe salutis consequendæ vixisse dicit?* Respondeo: dicit hoc is: qui Christum mortuum ait: vt nobis spem vitæ æternæ insereret: dicit is: qui Christum mortuum ait: vt ex morte resurgens primus populo annunciaret lucem: id est, certissimam, ex morte ad immortalitatem euadendi fidem. Hoc qui dicit; non solùm Patriarchis & Prophetis, sed & Marthæ alijsque, qui, Christo, resurrectionem, & vitam æternam in se credentibus pollicebatur; crediderunt: spem & fidem immortalitatis negat.

21. S. Ioannem Baptistam, Regni cælorum nomine, aliud intellexisse ab eo, quod Christiani se assecuturos sperant; est omnino incredibile: neq; in libris Apostolicis, vllum est eius figmenti vestigium: & tamen id D. V. tam præsumptuosè, at si esset Diuinum oraculum; asserit: ne minimâ quidem pro se adducta ratione.

22. Quòd D. V. me longè veriùs, nos à Christo esse redemptos intelligat; id ex eius Scriptis non apparet. Propalam, in lytro, & antilytro, & apolytrosi quærit metaphoras: & Redemptionem nostram, non tam Valori sanguinis Christi, quàm gratiæ DEI Patris adscribit: contra expressa S. Scripturæ oracula, à me in Opusculo, fol: 47. citata: quæ tamen, vt & alia, D. V. prouido saltu transilijt. Morti Christi, sine vllo addito, abolitionem diaboli, multis locis tribuunt Apostoli: qui eorum docuerit; morte Christi, stabilitum esse imperiũ diaboli; (vti docuit Smalcius:) neminem scio.

23. Resurrectionem Christi à salutis nostræ negotio non excludo: sed illud repeto: exhorrescendam esse blasphemiam Smalcij: dicere ausi; *Christum esse in morte sua à diabolo destructum: eademq; morte, diaboli imperium esse stabilitum.* Addo & hoc: quòd, etsi Christus, suam Resurrectionem, ad diem nouissimum distulisset; adhuc mors eius non fuisset inefficax: per eamq; vires diaboli confractæ fuissent: dicere vt etiam tum Christus posset; *Ero Mors tua ô Mors:*

& morsus tuus inferne. Iam enim tum effeciſſet Chriſtus: vt mors, quæ antea omnium terribilium terribiliſſimum quid cenſebatur; amore eius, qui pro nobis mortuus eſt ſummo deſiderio expeteretur.

24. Chriſti vulneribus, ſanguini, morti, quàm parum Sociniſtæ tribuant valoris; ex eorum verbis, à me in Opuſculo productis, patet: quæ à me, ex fide allegata eſſe, ipſum D. Vindicis ſilentium probat. DEVM nobis per Chriſtum eſſe reconciliatum; in Speculo Sociniſtorum demonſtrabo. Nunc id breuiter probo. Ille eſt per Chriſtum reconciliatus, qui fuit offenſus: atqui DEVS fuit offenſus: (nec enim nos: quos nulla vnquam DEVS affecit iniuria.) Ergo DEVS eſt per Chriſtum reconciliatus.

Exdictis patet: quàm meritò S. Scripturæ loca, ad tuendum valorem Chriſti vulnerum, ſanguinis, & mortis, produxerim.

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS DECIMI.

Deſcendit ad inferos.

1. NIſi Chriſti deſcenſu ad inferos, aliud quid; quam, eſſe in ſtatu mortuorum, ſignificetur; omnino ridiculam tautologiam committi oportebit. quis enim dubitare poteſt, eum qui verè mortuus, & ſepultus ſit; (vti Chriſtus præcedente articulo præſupponitur;) etiam in conſummatiſſimo ſtatu mortuorum, eſſe? Neq; quiſquam cogitaſſet, Chriſtum poſt mortem & ſepulturam propriâ virtute reſurrecturum; niſi cui; eum Diuinam eſſe Perſonam; cui Pater dediſſet vitam habere in ſemetipſo; & poteſtatem reſumendi animam, quam propria ſponte poneret; certo certius eſſet. Equidem, cùm aliquem audimus, mortuum & ſepultum: non opus eſt nos ampliùs quærere, au in mortuorum ſtatum deuenerit: & qui id quæreret, omnium ſe ludibrio propinaret. Quæ ergo hîc, ad ſuam tautologiam tuendam, affert D. V. meriſſimæ ſunt δοκησεις: aut λογοι.

2. Quod de animarum à corpore ſeparatarum ſtatu, docuit Socinus contra Puccinm; & Smalc. l. de Filio, fol: 54. l. de Err: fol. 14. & in Examine 157. Err. fol: 50. & prolixè contra Franc. p. 2. d. 7. legere debuit D. V. & tum primum, criminationis me arguere. Nam ſi ea legit: omnino contra mentem loquitur: ſi non ſuam tantùm, ſed & Socini Smalcijq; ſententiam fuiſſe, dicit; quòd anima, eandem naturam retinet extra corpus, quàm habuit in corpore.

Eſt in cor-

Est in corpore operatiua: voluptatiua: fruitiua: dolorũ gaudiorũq; capax, &c. &c. Quæ omnia seperatis animabus, Socin. Smalc. Wolkel negauere.

3. Verba S. Scripturæ, pro vero Christi ad inferos descensu, à me ex Ecclesiastico, Isaia, Zacharia adducta; quomodo, nescio quam spiritualem liberationem significent; quomodo item, ea; vel resuscitatio ad vitam immortalem, ex eorum verbis inferatur; explicare debuit D. Vindex: quod quia non fecit; non potuisse, eum verborum claritati, vllam obducere nubeculam, præsumendum est. Ea certè, quam obducit verbis S. Petri, futilis admodum, Sanctisq; Patribus, & S. Scripturæ interpretibus ignota, est: qui verba Apostoli, de descensu reali, ad locum subterraneum, inferni nomine intellectum, animæ Christi, nomine, Spiritus, Patri in cruce commendati, intellectæ: quæ hîc carni opponitur: & dicitur, πορευθεις (quod motum localem significat) prædicasse: seu denunciasse (εκηρυξεν) redemptionem: cæliq; ianuam patefactam spiritibus: (vel iuxta Syrum animabus:) qui in carcere erant: vel (vti Syrus) in inferno: quod totum, probat realem Christi descensum ad inferos. Atq; ita hunc locum explicant; Nostri Epistolarum Canonicarum Interpretes, Salmeron, Cornelius, Lorinus, Serarius: & è Theologis, Serarius, Bellarminus, Becanus, Suarez, secuti SS. Patres, Iustinum contra Tryphonem, Irenæum l. 3. c. 23. Origenem Homil. 15. in Genesim: & alios in Opusculo, à me & à Bellarmino citatos. Hos si D. V. fabulatores dicit; videat: ne, mutato nomine narretur fabula de se. Fabulis equidem proximè videntur allatæ ab eo, & nulla ratiuncula probatæ mysticationes: quibus semel admissis, nihil est in Scriptura certi. Denique: eius mystications & glossæ, recidunt in id, quod in Theodoro Mopsuesteno, Ecclesia Catholica damnauit.

Ille siquidem, vt è Vaticanis codicibus, noster Pradus, apud Serarium refert: quæ de Christo Domino, eiusq; mysterijs, in Veteri testamento, κατα λεξιν, proximè, aut remotè prædicta sunt, interpretabatur κατ' εκβασιν: id est, secundùm accommodationem. Cuius exemplo, cùm Munzerus, per aquam, intelligi vellet tribulationem; vel doctrinam, quo Baptismi Sacramentum exploderet, (quod postea, Socin. Smalc. Moschorou. maioribus machinis moliti sunt:) respondit ei Lutherus: *Si eô* (inquit) *rerum ventum; vt ita tropi fiant, iam vtiq; perdidimus Christum.* Pars profectò maxima, Sociniſticæ sectæ rueret, nisi talibus tropis fulciretur. Potuit D. V. eiusmodi mysticationes, Valentinianis Æonibus persimiles, Valentino Smalcio relinquere.

4. Verba illa, *prædicauit pacem, vobis qui longe, & his qui prope*, nihil habent cum verbis S. Petri commune: vt vtraq; κατα λεξιν expendenti perpicuum est.

5. In

5. In verbis illis, *qui immorigeri vel inobedientes fuerunt.* ex Græco Aoristo versis, dum me D. V. ait fabulari; suam animi elationem, & Doctorũ virorum contemptum, quin & solutionis suæ infirmitatem prodit. Nam, eum sensum, ex vi Græci Aoristi collegere, viri Græcæ linguæ peritissimi, Salmeron, Serar. Cornel. Lorin. Bellarmin. Suarez: quos si fabulatores, D. V. dicere ausit: videat neipse fabulator vel conuitiator audiat. Suæ quidem solutioni satis, se diffidere testatus est, cùm etsi non ignoraret, Participium Aoristicum, ἀπειδήσασιν tempus præteritum significare; sumpsit illud nominaliter, non verbaliter: quia vidit suam glossam, retenta genuina Græcæ vocis versione, subsistere non posse.

6. Noëtica tempora, crassis admodum rudentibus, ad suam glossam, D.V. trahit: quam non moror. Nullam, certè, necessitatem, video: cur hîc particula sicut, subintelligi debeat. Sola D. Vindicis glossa, eam exigit.

7. Sinum Abrahæ, esse locum subterraneum; docuere SS. PP. Nam Tertul. l. 4. contra Marcionem c. 34. vocat: *Regionem non quidem cœlestem: inferis tamen superiorem.* S. Hieronym: Epistola ad Heliodorum. *Abraham* (inquit) *erat in inferis.* S. Cyrillus Alex. l. de Recta fide ad Reginas: ait: *mortuo Christo, infernum emisisse animas Sanctorum.* S. Chrysost. homil de Lazaro: *eum sinum, vocat paradisum in inferno existentem.* Et hom: 4. in Marcum ait. *Antequam Christus aperiret ianuam regno, omnes animæ iustæ detinebantur in inferno.* Eodem modo eum locum vocat S. August. l. 12. in Genesim, c. 34. & in Ps. 85. & l. de Ciuit. 20. c. 15. vbi ait: *Non absurdè creditur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem, à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse: donec eos inde, sanguis Christi; & ad ea loca descensus, erueret:* S. Gregor: Magnus l. 12. Moral. c. 7. ait: *Non ita dicimus iustorum animas descendisse ad infernum, vt in locis pœnalibus tenerentur: sed esse superiora inferno loca: alia inferiora: vt in superioribus iusti quiescerent: in inferioribus iniusti cruciarentur.*

8. Christum realiter descendisse ad subterraneum inferorum locum, ad educendas, ibi detentas, Sanctorum Patriarcharum animas, docuere, Primitiuæ Ecclesiæ SS. Patres. Primo sæculo, S. Thaddæus apud Eusebium, l. Hist: 1. c. vlt. qui in Fidei institutione Regi Abagaro promissa, dicit: se docturum: *Quomodo Christus ad inferos descenderit: maceriamq; longo tempore immotam diruperit: quomodo mortuos, qui multò ante obdormierant corresuscitauerit:* (συνηγειρε) *quomodo descendit solus: ascendit verò cum multis ad Patrem suum.* Quæ ipsissima verba, habet S. Ignatius: Epistolâ ad Trallianos: vbi etiam docet: & ex Mat: 27. probat: plurimos cum Domino resurrexisse. Eundem Christi descensum ad inferos;

ad inferos; operaq; ibidem præstita, & salutationes Sanctorum Patriarcharum prolixè describit Nicodemus l. de Passione, & Resurrectione Saluatoris: inserto Orthodoxographiæ: editæ Basileæ A. D. 1555. Pro eodem reali descensu, Dionys. Areopagitam de Cæl. Hierarchia, c. 4. citat Feuardentius: in Commentario Irenæi, mox citandi.

9. Secundo Sæculo, eandem veritatem docuit S. Iustinus, contra Tryphonem: loco, in Opusculo, citato. Docuit eandem S. Irenæus: cuius verba in Opusculo retuli: quæ multis SS. PP. Authoritatibus illustrat, eius Scholiastes Feuardentius.

Pro eadem est, Origenes homil: 15. in Genesim, fi. dicens: *Vnigenitus Filius DEI, pro salute mundi vsq; ad inferna descendit: & inde protoplastum reuocauit. Quod enim dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiso: hoc non illi soli dictum; sed omnibus Sanctis intellige: pro quibus in inferna descenderat.* Et in c. 5. Rom: l. 5. *Intelligimus: Christum ideo in infernum descendisse; non solùm vt ipse non teneretur à morte: sed vt & eos; qui inibi, non tam præuaricationis crimine, quàm moriendi conditione tenebantur, absolueret: vti scriptum est: quia* ***multa corpora Sanctorum dormientium, surrexeruut cum illo:*** *in quo Prophetæ dicta complentur. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem:* Clemens Alexandrinus, Edit: Paris. A. D. 1612. verba S. Petri in Opusculo citata, explicans; l. 6. Stromatũ, ait: *Dominus nulla alia causa descendit ad inferos: quàm vt annunciaret Euangelium: sicut certè descendit.*

Tertullianus: l. de Anima c. 55. ait: *Si Christus DEVS, quia & homo, mortuus, & sepultus secundùm Scripturas; huic quoq; legi satisfecit; formâ humanæ mortis apud inferos functus; nec ante ascendit in sublimiora cælorum; quàm descendit in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas, & Prophetas sui compotes faceret; habes regionem infernorum subterraneam credere.* Breuiùs id expressit versu: l. 5. contra Marcionem prope finem. Infernos petit: hîc animas pro crimine vinctas, Sanctorum in requiem dedit: & cum luce retraxit.

10. Tertio sæculo eandem veritatem docuit S. Cyprianus, l. 2. contra Iudæos: n. 24. & 25. sub titulis: quòd Christus à morte non vinceretur, nec apud inferos remansurus esset: & quòd ab inferis tertia die resurgeret.

Idem Serm: de Passione Christi: *Impossibile erat, tuam* (Christe Domine) *animam, teneri ab inferis: de qua ipse ad Patrem dicis: quia non derelinques animam meam in inferno: quia vbi, in præsentia illius, effractis inferis est captiuata captiuitas; præsentatâ victrice anima in conspectu Patris, ad corpus suum sine dilatione reuersa est: & inter mortuos liber, morti obnoxios perpetua libertate donauit.* Et Serm. de Re-

ſurrectione Chriſti. *Honorificatus eſt Chriſtus reſurgens à mortuis: victor mortis: ſpolians inferos: & captiuos præmittens ad ſuperos.* Eiuſdem Victoris tryumphum, prolixè pulchro carmine prædicat Lactantius. Inter alia, dicit:

Triſtia ceſſerunt infernæ vincula legis: Expauitq́; chaos luminis ore premi.
Eripis innumerum populum de carcere mortis: & ſequitur liber: quo ſuus Authorabit.
Euomit abſorptam pauidè fera bellua plebem: & de fauce lupi ſubtrahit Agnus oues.

Prædicat eundem eleganter Arnobius: in Pſ.137. *Magna eſt gloria Domini: quando in altis crucis habitans, reſpexit humilia inferorum: & alta à longè cognouit: Poſtea enim vidit inferos: & longè factus eſt non ſolùm à cœlis, ſed ab ipſa terra,* (qui hîc motum localem negat; aut cæcus; aut enormiſſimè pertinax eſt:) *abyſſi profunda ſcidit, &c.* His addo S. Cyrillum Epiſcopum Hieroſolymitanum. Is Catech. 4. de ſepulchro; hæc habet. *Deſcendit ad inferos: vt illinc iuſtos liberaret. Cur enim vellet, viuentes quidem ſrui gratiâ, etſi plurimi ex his ſancti non eſſent; qui verò cum Adam a longo tempore, concluſi erant, non potiri libertate? Dauid illic erat, & Samuel, & omnes Prophetæ: & ipſe Ioannes: qui ad eum per ſuos nuncios dicebat: Tu es, qui venturus es? Non vis, vt deſcendens liberet tales?* Et Cat: 14. *Solus hic, deſcendit ad inferos: cum multis autem inde aſcendit: deſcendit in mortem ſolus: & multa corpora, quieſcentium Sanctorum excitauit, &c. Accurrerunt Sancti Prophetæ Abraham, Iſaac, Iacob, Samuel, Dauid, Iſaias, & Ioannes Baptiſta, &c. tum verò quilibet Sanctorum dicebat: Vbi eſt mors victoria tua? Liberauit nos Victor, &c.* Conſonant ea Verba, præcitatis. Oſtendat D. V. quomodo hæc ſuæ Confeſſioni ſuffragentur?

11. Sequentibus ſæculis ingens, pro eadem veritate, teſtium turba eſt. Bellarminus producit teſtimonia: è Græcis PP. Athanaſium, Baſilium, Gregorios, Cyrillũ, Epiphanium, Theodoretum: è Latinis; Hyppolitum Martyrem, Hilarium, Philaſtrium, Prudentium, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Leonem, &c. quibus addit Feuardentius, Fulgentium, & Primaſium.

12. Neque miretur quiſquam Sociniſtarum: quòd hîc, præter conſuetudinem, (quid enim per eos, Cauſam meam defendi vellem, quos ſatis contemptibiliter, Scriptores Sociniſtici Poloni, Patreſſos vocant?) tot SS. teſtium numero congerendo operam impenderim. Feci id: vt ipſiſmet Sociniſtis, expediriorem iudicandi ſententiam facerem: egonè, an D. Vindex mendax ſit: dicere auſus: SS. Patres quos citaui, pro ſua ſententia facere: quo quidem, an impudentius dari poſſit mendacium; ego profectò neſcio. Saltem, vel vnico verbulo, rem, totius Chriſtianitatis ſenſui diſſonam, probare debuerat: ſaltem vel vnius Patris verba producere, atq; demonſtrare: quomodo, eius ſententiæ verba illius faueant. At ille horum incurius, ſatis habuit, id ita ſe habere, dixiſſe.

13. S. Theo-

13. S. Theophilum, doctrinæ Apostolicæ discipulum, per S. Ignatium, suũ in Patriarchia Antiochena antecessorem; non debuit contemnere, & improbare D. Vindex. Quid enim ille dixit, quod non, alij SS. Patres dixerunt? An non eadem est aliorum de Verbis Christi ad latronem dictis sententia? Meminisse debueras Domine V. neminem Patrum, etiam primitiuæ Ecclesiæ; fuisse: qui ea Verba Christi, aliter sit interpretatus. Non vacat referre omnes. Audi S. Clementem Romanum Apostolorum discipulum: quid l. 5. Apost: Constitut. dicat: *Alter* (inquit) *sceleſtorum, ad Dominum conuersus, vt pote ab eo illuminatus; orabat: vt sui in regno meminisset: Dominus autem donata statim obliuione præteritorum, introduxit eum in paradisum: vbi ei mysticis donis fruendum esset.* Per quæ mystica bona, quid intellexerit: docebit infra eius Scholiastes Turrianus. Audi: quàm, hoc ipsum eleganter sit elocutus S. Cyprianus Sermone de Passione Christi. *Considero Domine: te, in illo patibulo, vbi videbaris sine adiutorio, quomodo imperatoria potestate latronem præmittis ad regnum: in cuius manifestatione, iam manifestè constat: quantùm apud derelictos profeceris: quorum primus iste, gloria & honore coronatus, eâ ipsa die, paradisi ciuis, & domesticus curiæ cœlestis efficitur.* Et Sermone de Cœna Domini. *Dominus &c. repente indulgentiæ celeris documentum statuit, & exemplum: latroni inquiens: Hodie mecum eris in paradiso. In momento impietas religionem: crudelitas induit pietatem: & statim consummatus ciuis Sanctorum, & domesticus DEI; præmissus est ad regnum, &c. Quid tu Domine ampliùs Stephano contulisti? quid ampliùs obtinuit ille dilectus tuus, qui supra pectus tuum in cœna recubuit? quid ampliùs Pauli meruere sudores? vnâ hora, huic collatum est præmium: ad quod illi per tot discrimina peruenerunt.* Non possum etiam S. Cyrilli Hierosol. suauissimum omittere Sermonem: Catech. 13. ***Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.*** *Cum enim hodie vocem meam audisti, & non obturasti cor tuum, celeriter tibi gratificabor. Adæ dictum est quacunq; die comederitis morte moriemini: tu verò hodie obedisti fidei: hodie quoque tibi salus.* Hoc ipsum loquuntur, alij SS. Patres, quos refert, eruditissimus Theologus, P. Theophilus Raynaudus in Metamorphosi Latronis. Non erat ergo: quòd S. Theophili verba D. V. cauillaretur: cùm quod ille docuit, etiam alij SS. Patres docuerint: quorum vnus S. Gregorius Nyssenus Orat 1. de Christi Resurrectione, hanc quæstiunculam; (quomodo Christus simul esse potuerit, in corde terræ, in paradiso cum latrone, & in manibus Patris: cùm nemo apud inferos paradisum esse dixerit; aut inferos in paradiso) cùm proposuisset; respondet. *At hæc piè considerantibus, ne quæstione quidem fortasse videantur digna. Qui enim diuinâ suâ potentiâ vbiq; est: is & rebus adest omnibus: & nullo excluditur loco.* Hæc profectò clariora sunt quàm vt in dubium vocari possint: at somnia D. Ionæ quis non rideat? *Christus,*

(inquit) *iu inferno fuit, quatenus mortuus non resurrexit.* Ergo & omnes Sanctorum animæ in inferno sunt: siquidem nullus hominum hactenus resurrexit. Ergo simul sunt animæ damnandorum, & saluandorum. Rursus ait: *Christus in paradiso fuit, quatenus mortuus ad vitam beatam resuscitandus erat.* Quæ versutior impostura hac poterat fingi? quis vnquã somniauit paradisi nomine idsignificari?

15. Cæterùm per paradisum, intelligi visionem beatificam (quam sæpe SS. PP. nomine regni cælorum intelligunt; vt nomine paradisi eam honorat S. Aug. l. 12. de Genes. c. 28. & 34.) docuere SS. PP. eosque secuti, Doctores, à P. Raynaudo recensiti. Eamq; per mystica bona, à S. Clemente esse intellectam, Noster Turrianus, in Commentario illorum verborum; eruditè probat: ex Photio Const. in Respons. ad Qq. Amphilochij Metropolitæ Ciziceni. *Cum Latro* (inquit) *Dominum orauit: vt sui in regno suo meminisset; nomine regni intellexit frui bonis: & vita beata. Quia verò paradisus, inter cætera bona notior erat: ideo Dominus paradisum ei promittit: & non aliud pro alio donat; nec aliud promittit, quàm quod ille cupiebat: cupiebat autem, vt haberetur sui memoria in regno Christi: quod erat frui bonis beatis: quæ meritò bona mystica vocantur; quia nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit: quæ præparauit DEVS diligentibus se.* Hactenus Turrianus: vbi etiam eos, qui verba Christi ita nectunt: *Amen dico tibi hodie;* ait: explosos, olim ab antiquo Scriptore Magnete: l. 3. Apologiæ pro Euangelio. Certè ab Abbate Moyse, apud Cassianum Collat. l. 1. c. 14. hæc verborum distinctio, vocatur; *Prauissima hæreticorum distinctio cauenda: imò toto horrore detestanda.* Maldonatus autem vocat, insipidam, & eneruem. Satis igitur constat: Sanctos Patres, in Symbolo Apostolico, realem Christi ad inferos descensum agnouisse: mysticationes verò D. Vindicis somniasse neminem: quas iam expendam.

15. Ait: *Scripturæ dicta, de mortuorum vinctorum, in carcere, & in tenebris sedentium, liberatione, allata, partim de spirituali liberatione partim de mortuorum ad vitam immortalem resuscitatione intelligi debent.* Audio verba: probationem desidero. Vnde istud enatum debitum? Cur nequeunt, vti sonant, verba intelligi? quis Sanctorum Patrum ea, in sensu D. Vindicis intellexit? De reali Christi descensu ad inferos intellexit eadem: Isidorus Hispal. Orat. de Resurrectione Domini: Lyra: Hugo Dionys. Deniq; si allata à me verba de spirituali resurrectione, propter ea quæ affert D. V. (*surge ex mortuis*) intelligi debent; causa nulla erit; cur non aliquis, realem Christi resurrectionem neget: eamque de spirituali interpretatus; eadem ipsa verba, *surge à mortuis ei,* pari facilitate accommodet: quanquam non debuit obliuisci D. V. hæc verba; à SS. Hieronymo, Chrysostomo Epiphanio, de Adamo tactu sanguinis Christi excitato, in sensu primigenio literali explicari. Verba citata Zachariæ, SS. Hieron: Aug: Cyrill.

Cyrill. Remigius, Rupertus, Theodoret. Thomas Aquinas; & RR. Interpretes Cornel. Ribera, Sanctius, Castrius, de Christi descensu ad limbum, liberatisque inde animabus Sanctorum interpretantur. His quid D. V. opponet? Rabbinũ aliquem Iudaicum? vel Iudaizantem? Atqui hoc est sistere χίον πρὸς κῶον. Quid verò idem contra S. Cyrilli, magni illius in Concilio Ephesino verbi Incarnati propugnatoris, verba Isaiæ, Christo in infernum descendenti, atq; inde Sanctorum animas educenti, applicantis, authoritatem affert? nihil.

SS. Iustini, Irenæi, Clementis, (quibus addi possunt Athanas. Hilar. Hieron. Cyrill. Epiphan. citati à Cornelio in Epistolam Petri) verba S. Petri de reali Christi descensu ad inferos, Euangelijq; eisdem denunciatione facta explicãtiũ; quo demolitur? Solâ suâ magnifica authoritate. Hæc ei sola sufficit, ad explicationem eorum verborum orbi obtrudendam vanissimam, nulla ratiuncula probatam: &, quod deterrimum, textui Apostolico repugnantem, Nam Apostolus dicit Euangelizatum esse spiritibus: πνεύμασι, seu, (vt vertit Syrus) animabus incarceratis; at D. V. dicit euangelizatum esse hominibus spiritualiter incarceratis: Apostolus dicit πορευθεὶς, id est profectus, vel, (vt S. Cyprianus; vel Ruffinus in Symbolo Apostolico vult) descendens: at D. V. vertit veniens: Apostolus dicit: c. 4. v. 6. euangelizatum mortuis: Vbi mortuos verè & propriè esse intelligendos; patet è verbis præcedentibus: at D. V. dicit: euangelizatum viuis. Apostolus dicit: euangelizatum illis, qui incredùli fuerant in diebus Noë: sed (vti explicant Theologi & Interpretes à Lorino citati) sub finem vitæ conuersi sunt: at D.V. dicit addendam esse particulam sicut: cuius addendæ, extra sententiam Vindicis, nulla omnino necessitas est.

16. Verba ad Eph. 4. v. 9. ob eorum claritatem suppressit D. Vindex: neq; adductis Tertulliani & Augustini testimonijs, quidquam opponere potuit; ideo siluit: aliô, calamo Oratorio euagatus: de quo mox. Interea adductis Patribus; addo S. Hieronymum. *Inferiora* (inquit) *terræ, infernus vocatur: ad quem Dominus noster Saluator q. descendit: vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret.* Atq; hæc est illa captiuorum liberatorum cohors, captiuæ captiuitatis nomine significata: principatibus & potestatibus inferni erepta. De qua, pulchrè idem Hieron. *Dominus noster IESVS Christus, nos de cathenis hostium liberauit: liberatosque, per nouam captiuitatem de captiuitate veteri erutos secum duxit in cælum.* Quod dicere; non est lucem per tenebras significare: (vti D. Vindici videtur:) sed Christum, multo, Sanctorum Patrum, in inferno detentorum, comitatu assistente; ceu glorioßissimum Victorem, multorumq; captiuorum liberatorem cælestibus Capitolijs inducere. Et verò Prædas è Russia actas, si quis excutit; rectè dicitur, captiuam ducere captiuitatem:

estque id ei, æquè glorioſum, atq; olim fuit Romanis, captiuos ciues, ab hoſte recuperatos, in tryumpho ducere.

17. At D. Vindicis explicatio manca admodum eſt. Quis enim ei conceſſerit ab aſcendente Chriſto, diabolum eiuſq; principatus, ductos in cæleſtia Capitolia eſſe? quinam populi, quæ gentes, ab aſcendente Chriſto, è diaboli tyrannide ereptæ? Recenſe eas Domine, quis neſcit, extra Iudæam, aliquot à Chriſti aſcenſu annis, Euangelium nemini fuiſſe prædicatum? quomodo item dici poteſt per Chriſtum reſurgentem & exaltatum, Electos, eſſe liberatos ex iure mortis & inferni; cùm euidentiſſimum ſit, Electos quoſcunq;, etiamnunc mori: & in ſtatum mortuorum, (quem inferni nomine Sociniſtæ intelligere ſolent) decidere: atq; in hodiernam diem, opinione Sociniſtarum; in inferno eſſe: & ſub poteſtate mortis & inferni, detineri animas quorumuis Patriarcharum: Prophetarum: Apoſtolorum? Quid tandem mi Domine intelligis, per mortem, & infernum; à quorum iure Chriſtus ſuos Electos liberauerit? ex quo Apoſtolico verbo, hoc ius elicuiſti? S. Auguſtini verba, quomodo liberationi à D. Vindice confictæ poſſint ſeruire, penitus non video. Nunquid illa verba; *neminem de Electis apud inferos reliquit: illos ex inferi clauſtris eripuit, quos ſuos in fide & actibus recognouit: ex inferno partem abſtulit, partem reliquit:* liberationem de iure mortis & inferni ſonant? Non eſt hoc per tenebras explicare lucem? Quæ verò impudentia eſt; dicere: quòd Auguſtinus, verba illa; *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ô inferne*; non niſi in nouiſſimo die impletum iri cenſuerit? Cæcum eſſe oportet: qui non videat, ea eum verba, in Chriſti reſurrectione impleta, agnouiſſe. Ampliùs: num etiam D. Vindex dicet, ab Auguſtino ſe didiciſſe; quòd Chriſtus non ſoluerit dolores mortis ſuæ, ſeu (vt loquitur Apoſtolus;) inferni? Atqui diſertiſſimè ait loco citato: Chriſtū, ſoluiſſe dolores inferni: faciendo: ne eis teneretur: vel alios, quos voluit, ab eis liberando. En habet D. V. Symboli Apoſtolici articulum, de reali deſcenſu Chriſti ad inferos; S. Scripturæ, Sanctorumq; Patrum teſtimonijs, ſufficienter illuſtratum. Quid verò ipſe affert pro ſua eiuſdem Symboli gloſſa? Scripturas? nullam. SS. Patres? Ait quidem eos pro ſe facere: ſed quanto mendacio; eſt iam manifeſtum. Rationes? ne harum quidem vllam video. Totus eſt in narrandis ſuis ſententijs: quaſi Concionatoris, non Vindicis ageret partes. Refero verba eius: quæ nondum refutata.

18. *Quid* (inquit) *attinuit ex ſinu Abrahæ Sanctos & electos educere? an vſquã alibi illis meliùs eſſe poteſt?* Intellegiſnè mi Domine quid dicas? Dicerenè auſis? Iuſtorum animabus in regno cælorum non meliùs eſſe; quam in loco illo, quem aliqui

aliqui Sancti Patres, sinum vel gremium Abrahæ; plures, Sanctorum Patrum lymbum appellauere: & quem tu, paradisum appellas? Dicere ausis, nunquam Abrahæ, nunquam alias iustorum hominum animas expetijsse, è custodia illa, ad fruitionem visionis beatificæ educi? Tu ipse, non malles tuam, tuorumue contribulium animas esse in cælo; quàm in hoc à te tantopere prædicato paradiso? Si eo loco beatior nullus; cur ergo eum deseruit Christus? cur tantis, quanta prædicas, solatijs non fuit contentus? cur beatissima eius anima, vix triduo, in hoc beatissimo (vt ais) paradiso voluit commorari? Si nullus eo beatior locus; loquere vlteriùs: nihilnè eius loci beatitudini, nihil animabus ibi detentis, passio & mors Christi, adiecerit incrementi? nihil animabus in sinum Abrahæ receptis, sanguis contulerit Christi? Edissere nobis Domine tua mysteria: quæ hic sepelisti. Eloquere: num sanguis, passio, mors Christi, istis animabus aliquid attulerit emolumenti: & quod? Aperi sine fuco & ambagibus, quid per sinum Abrahæ, seu, vt eum vocas, paradisum intelligas? fuissenè, aut etiamnum esse aliquem credis locum; in quo Sanctorum animæ, cum Lazaro accumbant: fruanturq; solatijs? Vbi verò ille? in cælonè? in aëre? in terris? sub terra? an in spatijs imaginarijs? Desine tandem infelici popello illudere: & apertè doce: quo loco tuorum Magistrorum, Socini, Smalcij, Wolkelij, animas detineri existimas? fruine, etiam eos, his Abrahæ, Lazariq; delicijs censes? quid mysterij verba illa continent? *quatenus in sinu Abrahæ esse possunt, qui mortui sunt: & necdum resurrexerunt.* Locum, quo Sanctorum animæ, ante mortem Christi detinebantur, fuisse inferos; docuere Apostoli: fuisse locum subterraneum; explicauere Sancti Patres: quem, vt dixi, lymbum plures; aliqui sinum vel gremium Abrahæ, aliqui paradisum appellauere. Vtrumq; amplexus Origenes, homil. 26. in c. 31. Numerorum ait: *Illam etiam figuram dicimus exeundi de Ægypto: cùm anima iusta relictis mundi huius tenebris, & naturæ corporeæ cæcitate, transfertur in aliud sæculum: quod sinus Abrahæ in Lazaro, paradisus in Latrone vocatur: vel etiam, si quæ nouit DEVS, esse alia loca, aliasue mansiones, per quas transiens, anima DEO credens, perueniat ad flumen lætificans Ciuitatem DEI.*

Tu verò mi Domine, quid per inferos, quid per paradisum intelligis? si statum conditionemue mortuorum; in radijs solaribus tenebras quæris: totiusq; primitiuæ Ecclesiæ assensui contradicis: (vt modestissimè loquar:) vanissimè. Iam enim hoc figmentum Hugonis Brugthoni Angli, (ex cuius hypomnematiolo Amstelrodami edito, descripsere illud Socinistæ;) etiam heterodoxis ludibrio est.

19. Iam verò, non te pudet mi Domine puerilis cauilli: cum dicis: *Sanctos mortuos non eductos ex sinu Abrahæ, sed vnà cum eo, aliò traductos?* quasi verò

quis

quis potuerit dubitare; Abrahamum, etiam è loco illo, qui antea sinus Abrahæ dicebatur, per Christum èductum, dici ab eo; qui ex eo Sanctos & Electos DEI eductos dicit: nisi quis à Sanctis & Electis DEI, Abrahamum exclusum velit. Atq; hæc sunt quæ in discursu D. Vindicis aliquam rationum speciem habuere: in reliquis putida conciuncula est: quam, eius Author perorat: dictorum omnium adeo securus: vt cùm omnia, totius Christianitatis fidei, dissonent; ea, veluti nullius probationis indiga, vix non pro Oraculis haberi velit: id vnum intentus; vt eius ipsius sententiâ contentus Lector, nullius assertionis rationem quærat: sed veluti in Scholæ Pythagoricæ adscitus discipulum; iubeatur vbiq; omnium dubitationum molem, excutere hoc malleo: αὐτὸς ἔφα.

20. Ita cùm de spirituali liberatione, Scripturas à me allatas explicat; nullam Lector inueniet rationem, præter hanc; αὐτὸς ἔφα. Ait idem per Spiritum, quo Christus, 1. Petri 3. dicitur viuificatus, non animam Christi sed Spiritum S. quo Christus prædictus fuit, debere intelligi: quo teste: qua ratione, id, aliaq; ibidem allata, asserat: ne quæras. Vnica hæc est: αὐτὸς ἔφα.

Ait idem: quòd baptisma, nos etsi paucos, seruet per resurrectionem Christi: quo teste? quo argumento? Hoc vnico: αὐτὸς ἔφα. Ait idem: cælestis beatitatis gaudia, in aduentum Christi & resurrectionem iustorum dilata esse. Sciebat hìc sibi à SS. Patribus totoq; orbe Christiano dici; Nego. quo ergo id probat? Nihil aliud inuenies: præter αὐτὸς ἔφα. Ait idem: Christum, vt ex inferno anima eius educeretur; anhelasse: vbi hoc scriptum si quæras; frustra es. Hoc contentus esse debes: αὐτὸς ἔφα.

Verba S. Augustini aliorumq; SS. Patrum à me adducta pro eius Confessione facere dicit. probatne? ne verbulo quidem. Satis esse vult, quòd αὐτὸς ἔφα. Ait ibidem: Christum, qui dicebat se potestatem habere animã suam ponendi & iterum sumendi eandem; opus habuisse, liberari à DEO ex inferno. Durum id auditu: quo igitur probatur? illo vnico: αὐτὸς ἔφα.

Ait idem: quòd Christus quatenus mortuus non resurrexerat, fuit in inferno: quatenus verò ad vitam beatam fuit resuscitandus, fuit in paradiso. Fabulæ Gnosticorum! quo probantur? Hoc solo: αὐτὸς ἔφα.

Ait idem: Christum mortuum ante suam resurrectionem locum non mutasse: neq; alios mortuos locum mutare. Euidentissimè falsum dogma! Mortuus est Christus in cruce: Num ergo ad suam vsque resurrectionem mansit in cruce? Negare non potes, saltem corpus mutasse locum: vt pote delatum ad sepulchrum: de animâ quid sentis? non mutauit locum? ibine mansit, vbi est à corpore separata? Edissere hæc arcana: doce nos: si animæ post mortem hominum

minum non mutant locum; (vt hîc loqueris:) vbi tandem sunt? eonè loco, quo à corpore fuere separatæ? an aliquo alio? vbi nunc anima Iudæ? vbi Socini? vbi Sanctorum Petri & Pauli? eodemne an diuerso loco? omnesnè in inferno sunt ante suam resurrectionem? vide Lector: quanti hîc labyrinthi: quanta probationis necessitas: quam tamen, præter illam, αὐτὸς ἔφα, nullam inuenies. Sed pergamus. Ait amplius. *Eôdem nunc Sancti omnes, cùm moriuntur descendunt: quô & Sancti ante Christum moriendo descenderunt; & Christus ipse moriens descenderat.* Id negat orbis Christianus: certus: Christum ad inferos, seu ad lymbum Patrum descendisse: quô eodem animæ SS. Patrum descendebant: cùm tamen nunc, omnes Sanctorum animas, in cælos assumi; Christiana Ecclesia pro certissimo habeat. Quo ergo, oppositam dogmati Christiano thesim, D.V. probat? Nihilo alio: quàm quòd αὐτὸς ἔφα. Glossa de portis inferni, quæ à D. V. affertur; quem habet cum verbis præcedentibus nexum? & tamen sine vlla probatione, oraculi instar affertur. Quid vero παραδοξότερον afferri potuit: quàm dicere; quòd Christus Ecclesiam ex inferni claustris eduxerit? Nunquid eius Ecclesia, ante Christi resurrectionem, fuit in inferni claustris? O nænias, Valentinianis Æonibus fabulosiores! & tamen huius etiam asserti, non est alia probatio, nisi, αὐτὸς ἔφα. Quid verò nexus habent, claues mortis & inferni, aliaq; hîc allata, cum Ecclesia, contra quam portæ inferi non essent præualituræ? Plane ita hîc procedunt, omnia **Hinc**; atque illa; S. Petrus est mortuus: Ergo pluet. Verbo dicam: Plures hîc D. V. fabulæ, quàm apud Nasonem, vel Maronem.

TRVTINA VINDICIARVM.
CAPITIS VNDECIMI.

Die tertiâ resurrexit à mortuis.

1. HIc veluti Ilio capto rediuiuus Vlysses tryumphat: persuasus captos se ostendere ciuibus hostes. At subsiste quæso mi Lector: & tantisper dum quæ respondeo legeris, applausus & gratulationes, suspende. Dixi: in Confessione suppressum hîc errorem: Christum solius DEI Patris potentiâ, & non, etiam virtute propriâ, à mortuis esse excitatum. Eundem errorem etiamnum obijcio. Quid verò contra D. Vindex? bella horrida, bella; nouus Pater Patratus denunciat. Videamus: an non indignatio eius pluſquam fortitudo eius. *Nunquam* (inquit) *vllus Apostolorum prædicauit, Christum à mortuis propriâ*

virtute resurrexisse. At vnde tibi mi Domine constat, nullum id Apostolorum prædicasse? Num ex eo, quod, id nullibi scriptum legas? atqui toto cælo erras: si id solum censes prædicatum; quod legis scriptum. Nihil de prædicatione Andreæ, Bartholomæi, Mathæi, Simonis, Philippi, Thomæ, legis: Ergo illi nihil vnquam prædicauerint? vbi legis, scripta esse illa; quæ se S. Paulus præsentem dispositurum promiserat Corynthys? 1. Cor: 11. Num omnes Apostolici sermones, in Acta Apostolorum, vel Epistolas coniecti? nunquam ergo illi prædicauerint; quæ Euangelistæ quatuor, suis codicibus inseruerunt? nunquam dubitationes, in mentibus fidelium, de sensu S. Scripturæ, mysteriorumque fidei enatas, explanarunt? nullibi hæreses, eorum tempore exortas confutarunt? Quis hoc credat? S. Clemens Romanus, Apostolorum discipulus, aliquoties, locis in Harmonia citatis docet, quòd Christus seipsum à mortuis excitauerit. Idem docuere: quicunq; eum secuti, aliquid de hoc fidei articulo scripserunt: neq; fuit qui id negaret; vsq; ad tempora Arriomanitarum. Vnde ergo S. Clemens, vnde alij omnes hoc dogma didicissent; quàm ab Apostolica prædicatione?

2. Sed esto: nihil aliud de Christi resurrectione prædicatum esse, quàm quod scriptum. Num ideo Catholicam fidem illidi hîc confringiq; oportebit? Nihil minùs. Quid enim ita? *Passim* (ait) *dicitur Christus à DEO resuscitatus.* Ita sanè: quid inde? Apostoli, vti dixere Christum esse à DEO resuscitatum; ita dixere Christum esse DEVM: Ioannes. 1. Euangelij 1. & Epistolæ primæ 5. v. vltimo. Paulus Rom. 9. v. 5. Hebr. 1. v. 8. & 9. &, (vtut vos proteruè negetis) 1. Tim: 4. v. 1. Eph. 5. v. 5. & alibi. Petrus secundæ 1. v 1. Iacobus 1. v. 1. Iudas v. 4. Cùm ergo dixere IESVM suscitatum esse à DEO, non solum Patrem, sed & Verbum seu Filium DEI, nomini DEI includerunt.

3. At enim instat: *Ea ipsa suscitatio multis locis tribuitur DEO PATRI. Ergo alijs quoq; locis voci DEI non includitur Filius.* Nego Consequentiam: vt eandem, cætus vestri proauis, negauere SS. Patres. Audite, quid S. Augustinus contra Sermonem Arrianorum c. 15. locutus fuerit. *Eadem* (inquit) *sunt opera Patris & Filij: non quòd Filius sit Pater: sed quia nullum opus est Filij, quod non per eum Pater facit: nec vllum Patris, quod non per Filium simul facientem Pater facit. Quæ. cunq; enim Pater facit, hæc eadem Filius similiter facit.* Euangelica est ista sententia, Filij ipsius ore prolata. *Non sunt ergo, alia Filij, alia Patris opera: sed hæc eadem: nec dissimiliter fiunt à Filio, sed similiter: id est non dissimili facultate, & potentia.* Cuius doctrinæ, pluribus allatis exemplis, quibus probat, non posse operationem esse diuisam, vbi non solùm æqualis, sed etiam indiscreta habeatur natura; tandem ita concludit. *Quis nisi solus Filius surrexit? quia solus mori potuit,*

qui

qui carnem habuit: & tamen ab hoc opere, quo solus Filius resurrexit, Pater non fuit alienus: de quo scriptum est: qui suscitauit à morte IESVM. *An fortè seipse non suscitauit? Et vbi est, quod ait:* ***Soluite templum hoc: & in triduo resuscitabo illud.*** Et; *quòd* ***potestatem habere se dicit, ponendi, & iterum sumendi animam suam.*** *Quis autem ita desipiat; vt* SPIRITVM *S. resurrectioni hominis Christi dicat non cooperatum, cùm ipsum hominem Christum, fuerit operatus?*

Audite item quomodo eosdem vestros proauos S. Ambrosius confuderit: Tomo 4. de Fide: l. 3. c. 2. *Si vbicunq; Deum legunt, negant etiam Filium designari; & impij sunt: diuinitatis potentiam Filio negando: & Incarnatum Patrem Sabelliana impietate astruere videbuntur. Qui enim Christum suscitauit, is & nos viuificauit: & delicta donauit: qui delicta donauit; & chirographum tulit: qui chirographum tulit; affixit illud cruci: qui affixit illud cruci, carnem se exuit. Sed Pater non se exuit carnem, non enim Pater caro factus est, sed Verbum. Videtis ergo, quod Arriani dum separant à Patre Filium, in id periculum incidunt, vt Patrem passum esse dicant. Nos verò facilè docemus, dictum id de Filij operatione. Nam ipse corpus suum resuscitauit: sicut ipse dixit:* ***Soluite templum hoc & in triduo resuscitabo illud.*** *Ipse viuificat nos, cum suo corpore:* ***sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat:*** *Ipse delicta donauit: ipse chirographum affixit cruci, qui crucifixus est: nec alius se carnem exuit, nisi qui eam induit. Ipse significatur Deus, qui opus nostræ resurrectionis operatus est. Ergo cum legis* DEVM, *non separes Patrem, nec Filium: quia Diuinitas patris & Filij, vna eademq; est.*

Patribus Latinis totidem adijcio Græcos. S. Chrysostomus in Commentario Epistolæ ad Galatas, verba illa expendens: ***qui suscitauit eũ à mortuis;*** ita alloquitur S. Paulum. *Quid agis Paule? cùm cupias Iudaizantes ad fidem perducere; nihil ex illis magnis adducis in medium? Quale est illud; quod ad Philip. scripsisti: qui cùm in Formâ DEI esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO: & quod Hebræis scribens, clarâ voce protulisti: splendor est gloriæ, & figura hypostasis eius: & quod in Euangelij sui initio, ille tonitrui filius exsonuit:* ***In principio erat Verbum & Verbum erat apud DEVM, & DEVS erat Verbum.*** *Et quod ad Iudæos Dominus pronunciauit, dicens,* ***quæcunq; facit Pater, eadem & Filium similiter facere.*** ***Horum nihil dicis, &c.*** Et reddita eius facti ratione; tandem ait: *Verùm hìc insultant hæretici dicentes: Ecce Pater suscitauit Filium. Nam postquam eos, semel corripuit insaniæ morbus, ad sublimes sententias sponte surdi sunt. sed si qua humiliora, vel ob carnem assumptam ita dicta sunt, vel ob Patri debitum honorem, vel ob aliam aliquam dispensationem hæc seligunt: & hæc sola expendentes circa aliorum locorum collationem ipsi sibi noxam accersunt. à quibus lubens quæro: cur ista*

dicant? Num ideo; quòd velint ostendere Filium inhabilem, ad vnius corporis suscitationem? Atqui fides in illum effecit: vt vmbræ eorum, qui in ipsum credebant, mortuos excitarent. Itane, qui credebant in eum, vmbrâ corporum, vestiumue attactu mortuos excitabant; & ipse seipsum excitare non potuit? An non hæc euidens est insaniæ, vehemensq; delirium? Non audis illum dicentem: Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud: Et; *Potestatem habeo ponendi animam, & iterum sumendi eam. quam ergo ob causam, Pater eum excitasse dicitur? hic; eum excitare dicitur, quomodo & alia facere dicitur, quæ facit Filius: siquidem hoc partim honoris gratia qui Patri debetur: dictum est: partim ob auditorum imbecillitatem.* S. Epiphanius contra hæresim 69. Arriomanitarum; eorum proposito hoc argumento; DEVS excitauit eum à mortuis. Ergo alius est qui excitat; alius qui excitatur; ita insurgit. *Quo vsq; tempus tero, circa vanos sensus eorum; qui frontem suam perfricuerunt. Quis ergo excitauit Lazarum? cuius uomen inuocabant Apostoli, dum mortuos suscitarent? puto: quòd prænoscebat SPIRITVS S. futuras hæreses, quæ Christum à Paterna voluntate dissidere asserturæ essent; ideo Apostoli ad vnam Deitatem omnia referebant.* Et infra. *Vide quomodo Mariam alloquatur Angelus: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Vides: viuens in propria Deitate, in carne resurrexit.* Quid vltra? *Resurrexit; non est hîc: & non dixit: Excitauit eum DEVS. Et vt tibi ostendam potentiam, quòd viuens resurrexit: etiam ipse dixit: Ecce ascendimus Hierosolymam: & tradetur Filius hominis, & crucifigetur: & tertia die resurget: & non dixit: Excitabit ipsum Deus. Denique clarè potestatem suam præmonstrauit dicens: Potestatem habeo ponendi animam, & rursus sumendi eam. Qui verò tantam potestatem habuit; quomodo seipsum suscitare non potuit? Apostolus verò scribens, vt ostenderet, nihil sine voluntate Patris in salutis dispensatione factum esse; dixit: DEVS excitauit eum à mortuis.* Hæc ille.

4. Ex dictis patet, neq; me, neq; Sanctos Patres, Euangelium, de Resurrectione Christi persuadere voluisse aliud ab eo; quod ab Apostolis prædicatum sit. Argumenta, quæ addit; insuper habeo: nec enim aliquid ponderis habent: præter Verborum phaleras. Dico breuiter: Christum esse mortuum, secundùm id quod mortale habuit: non autem secundùm id, quòd immortale habuit: multo minùs secundum quod erat DEVS: nec enim, moribundos secundum se totos, mori necesse est. Morimur homines: quis tamen nisi atheus dicet, etiam animas hominum emori? Mortem, nihil aliud esse, quàm animæ à corpore separationem, in confesso est: vt ideo Compositum dici debeat mori, non Suppositum: quamuis & hoc per dissolutionem Compositi pereat: si mortale sit:

non

non item; si immortale: si Verbum DEVS: si Persona Diuina. cùm, immortale, quatenus est tale, mori; implicet contradictionem. Etsi ergo Christus crucifixus est ex infirmitate, quam in nostra carne susceperit; sed viuit ex virtute DEI, seu (vti SS. Chrysostomus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, Hilarius interpretantur) Diuinitatis suæ potentia. Nam quòd ipse quoq; (ait Chrysost.) carnem suam ad vitam reuocarit: audi ipsum dicentem: *Soluite templum hoc: & in triduo excitabo illud. Quodsi id, quod ipsius est Patris, suum esse dicit; ne turberis. Omnia enim* (ait) *quæ Patris sunt mea sunt.* Neq; inde sequitur: Christum fuisse mortuum, & non mortuum: vti non sequitur ex eo; quòd sit mortuus Socinus secundùm carnem, non mortuus secundùm animam (siquidem ea immortalis sit:) esse mortuum, & non mortuum. Deinde, si aliquis Pater, dici potest mortuus, & quasi non mortuus, quia reliquit similem sibi: cur non item aliquis dici potest mortuus, secundum id quod habuit mortale, & non mortuus secundùm id, quod habet immortale. Sciebat Christus: Lazarum esse mortuum: quia tamen, eius animam viuere nouerat: ideo magna voce clamauit: Lazare veni foras: agnoscens eum, mortuum secundum carnem: viuere secundùm animam. Nulli ergo hîc gyri: nulli anfractus: nisi eos D.V. ibi etiam somniet; vbi aliquis dicatur crinitus, & non crinitus: albus & non albus: osseus & non osseus: respectu diuersarum corporis partium. Contradictoria & repugnantia prædicata, de eadem substantia diuersis respectibus dici; nemo nescit.

4. Atq; vti, eadē voce, hominis; intelligitur cōmodè; & substantia immortalis, (propter animā:) & substantia mortalis, (propter carnem:) ita vnâ eâdemq; persona, quæ Diuinam & Humanam compleat naturam: commodissimè potest significari, & DEVS & Homo: diciq; DEVS Homo: seu VERBVM CARO FACTVM. Hæc Sanctorum; Clementis, Ignatij, Irenæi, Cypriani, Iustini, Theophili, eosq; secutorum Patrum omnium Fides fuit: huic sua ingenia doctissimi & subtilissimi Philosophi subiecere: in huius Fidei Confessionem, totus orbis, inde à primo fidei Christianæ ortu, conspirauit. Non ergo proteruiæ est, contra tantam nubem testium, nouas S. Scripturæ glossas fabricare: vt ex eis, quorundam exulum, &, suis Patrijs, ob enormissimas hæreses proscriptorū, dogmata elixentur: & specietenus defendantur?

5. Cæteris, quæ, nimis Oratorio calamo referuntur; immorari; superuacaneum est. Breuiter singula refello: quod ad rem attinet. Verborum ampullas non moror. Eo nobis primogenito ex mortuis, opus fuit: qui; vti nos, moreretur, secundùm id quod haberet mortale: non moreretur secundùm id; quod haberet immortale: nec enim eum oportuit, esse deterioris conditionis,

nostrâ: qui secundùm id, quod habemus immortale, non morimur. Eo indiguimus ab inferis reduce: qui suis inde viribus euaderet: nec enim inde alios reducere posset; si non posset seipsum. Esto verò descendentium in infernum ea conditio sit; vt suis inde viribus remeare nequeant; non tamen illius, qui solus diceretur inter mortuos liber: non necessitate mortuus, sed liberrima voluntate: inferos, non vt victus, sed vt victor ingressus; ad spoliandos principatus & potestates: captiuamq; captiuitatem inde educendam.

6. Neq; per hoc; quòd Christus, quà vitam habens in semetipso, sicuti habet Pater; Ioan. 5. suæ Diuinitatis virtute, corpori in sepulchro iacenti animã reuniuerit; sequitur eum sui Filium esse: tum quia Filiatio propriè sumpta, non conuenit, nisi primæ Natiuitati: (vnde Lazarus, propriè loquendo non fuit Filius Christi: neque Dorcas filia S. Petri:) tum quia verba ex Actis adducta, collata cum verbis Hebr: 1. v. 5. meliùs explicantur, de æterna Christi Generatione: vel Incarnatione: vti ea, præter Theologos & interpretes, explicant SS. Patres: nam verba hæc in Actis, *Ego hodie genui te*, non necessariò (vti ibi bene aduertit Cornel.) referuntur ad *το resuscitauit*: sed ad *το*; *annunciamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est*: hæc autem est; Filij DEI missio in carnem, & in mundum. Præterea; non est necesse, per *το resuscitans*, intelligi actionem resuscitatiuam à mortuis: sed commodissimè, & consonê exigentiæ versus sequentis, & dictis, c. 3. v. 22. & 7. v. 37. intelligi potest actio Christi productiua. Denique: si hoc non satisfacit; sciat D. V. apud Theologos Catholicos, eum solum in Diuinis esse & dici Patrem: qui potestatem generatiuam habet à seipso: vti prolixè contra dæmonographum explicatũ est. Quanquam hoc ipsum soluere D. Vindex debet: Dixit enim supra folio 135. explicando verba illa S. Petri: *viuificatus spiritu*; per spiritum, intelligi debere, non animam Christi: sed Spiritum S. quo ipse alios mortuos suscitauerat. vnde ita argumentor.

A quo Christus est excitatus à mortuis, eius, (iuxta te) Filius est. A Spiritu S. est excitatus. (siquidem iuxta te à Spiritu S. est viuificatus:) Ergo SPIRITVS Sancti Christus est Filius. Et sic argumenta omnia, quibus D. V. circa Fidei nostræ articulum, de Christi Domini resurrectione, persuadere nobis conatus est Euangelium aliud ab eo, quod ab Apostolis toto orbe prædicatum est, confracta, & contrita sunt. Iam quomodo is mea Sanctorumq; PP. argumenta refellat; videamus.

7. Manet profectò inconcussa Catholicæ fidei petra: estq; certissimum: Christum à mortuis, non à solo DEO Patre, sed & à Verbo DEO, & Spiritu S.

excitatũ

excitatum esse: quo nomine, Sanctissimæ TRINITATIS gloria, Apostolico ore, toto orbe diffusa etiamnum celebratur: & prædicatur: in quam petram, quia Sociniſtarum hæresis incurrit, frangi eam, elidiq; necesse est. Quibus S. Scripturæ testimonijs innixi Sancti Patres, constantissimè eam tuiti sint veritatem; ex dictis patet.

8. Effugia D. Vindicis defunctoria sunt: immò ridicula. Nam si per τὸ ἐγερῶ, loco citato, non aliud significatur, quàm, *erigam: vel corpus meum leuabo.* Ergo & ἐγερθης significabit erectum vel leuatum, non resuscitatum: Cur non enim ἐγερθης censeatur ab eo, qui dicebat ἐγερῶ? Hoc autem admisso, sequitur, locis illis, quibus dicitur: de DEO, ἤγειρεν αὐτὸν, (vti dicitur, Act. 3. v. 15., 4. v. 10., 5. v. 30., 10. v. 40., 13. v. 30. & 37. &c.) non debere intelligi, quòd DEVS Christum suscitauerit; sed tantùm quòd suscitatum leuauerit: quod quis non rideat? Præterea hoc κρηφύγετον, facit Christum, minimè ad propositum respondere. Quærebatur ab eo signum: quo probaret se potestatem habere, nummularios è templo eijciendi: protulit Christus signum hoc: *Soluite templũ hoc: & in tribus diebus excitabo illud.* Quod verò thauma, quod signum sit, si homo rediuiuus corpus sepulchro leuet? Hoc tu ipse, mi Domine, hoc omnes resuscitati, citra omne miraculũ faciẽt: nũ tamen tu, vel aliquis aliusresuscitandorũ, verè nunc, & in sensu Christi, dicere potest: Ego meũ corpus ἐγερῶ? Agnosce mi Domine: quàm vietum hoc profugium sit.

9. Neq; alterum munitius est. Nam; reuera ridiculè dicitur: *Pater ideo dilexisse Filium: quia is habet ius moriendi, & vitam recipiendi.* quis enim hominum etiam pessimorum ab hoc iure exceptus? cùm tamen Christus, singularem prærogatiuam his verbis exprimere voluerit: id nimirum: quòd sit merissimâ suâ voluntate moriturus: non moriturus si nollet: tamq; sibi integrum esse, animam resumere; corporiq; reunire; quam eam vltro, (nemine eam à se tollere valente) ponere: & à corpore separare. At D. V. παλιν λαβειν, quod significat, iterum sumere, vel resumere; peruersè interpretatur, per recipere: vt expressa Christi verba, ad suum errorem detorqueat: & singulariſſimam Christi prærogatiuam, communem faciat hominibus etiam sceleſtiſſimis: quos negare non potest; habere ius & debitum moriendi: & potestatem vitæ, in die nouissimo, recipiendæ. Instantiæ allatæ, vel nihil faciunt ad propositum: (nec enim Abraham habuit potestatem, animam ponendi, eamq; resumendi: nec solum ius, sed debitum, consequens DEI imperium, mactandi Filij cùm spe, eius, vel alicuius alterius, in quo suum posset conseruari semen, recipiendi: nobis verò, non tantùm ius, sed & potestas data: vt Filij DEI per fidem efficiamur: ita vt

fideles,

fideles, non solùm ius habeant ad eam Filiationem, sed de facto iam, S. Ioanne teste, Filij DEI nominentur: & sint:) vel contra ipsum Dominum pugnant. Si enim, homines qui perdunt animas propter Christum, gignunt eas viuas; oportebit eos esse Patres suarum animarum: & animas; esse filias talium hominum: aut certè ἐνσεσιν D. Vindicis, nullius momenti esse. Et verò vel cæcus videt: absurdissimè hîc, verba Christi, contra communem SS. Patrum, totiusq; Ecclesiæ Christianæ sensum, solius veritatis odio, explicari.

10. Argumentum ductum, ex verbo *resurgens*, allatis Christi verbis accedentibus, satis firmum est: ideoq; vsus eo est, ante me S. Epiphanius: & ante eũ, S. Clemens Romanus: alijq; primitiuæ Ecclesiæ Patres: qui, secuti Symbolum Apostolicum, ideo dixere, Christum resurrexisse; non autem excitatum esse; vt docerent: Christum, communi sibi, cum DEO Patre, & Spiritu S. virtute & operatione, esse resuscitatum.

Resurrectionem se & vitam, absolutè pronunciauit Christus: vbi Pater, dictus sit, *Resurrectio*, non memini me legisse. Suggerat D. V. si id alicuibi legit. Verba illa *Ego viuo propter Patrem*, non resurrectionem Christi, sed æternam Generationem sonant. Pulchrè ea expendit S. Ambrosius l. 4. de Fide c. 5. *Propter Patrem* (inquit) *viuit Filius; quod ex Patre Filius est: propter Patrem; quòd vnius substantiæ cum Patre: propter Patrem; quòd est Verbum eructatum è corde Patris: quòd à Patre processit: quòd ex Paterno genitus est vtero: quòd Pater; fons Filij est.*

11. Atq; hinc, defenditur etiam vltimum argumentum. Excitabit nos Christus potestate aceepta, non à benefico largitore, sed à Patre: per generationem non per beneficium. per hoc autem non euertitur argumentum, Ait enim disertissimè & absolutissimè Apostolus Paulus: quod *qui nos excitabit à mortuis excitauit Dõ IESVM:* atqui nos, teste S. Ioanne, DEI Filius excitabit: Ergo & D. IESVM excitauit, Huic argumento in Forma respondendum erat: sed quia id D. Ionæ visum difficilius; obscuro nebulæ se circumfudit amictu. Iterum igitur dico: manere inconcussam fidei Catholicæ petram: ab ea stare omnes Sanctos Patres, totiusq; orbis Christiani assensum: Sociniſtas verò, solos Arrianos suæ sententiæ Magistros habere: & clarissimorum S. Scripturæ verborum splendori, futilium & ridicularum glossarum nebulam obtendere: cùm quidquid illi è S. Scriptura obijciunt; hoc dualitate Naturarum, in vna Persona Verbi subsistentium; potestatisq; & actionum indiuisa vnitate, sufficientissimè sit à SS. Patribus dissolutum: quam eos aliunde, quàm ab Apostolis didicisse; nemo vnquam probabit. Filium etsi *tantam habentem potestatem resumendæ animæ,*

quantam

quantam ponendæ; à DEO Patre excitari oportuit: tum quia non potest Filius à se facere quidquam, nisi quòd viderit Patrem facientem: tum quia; Filius, in similitudinem hominum est factus.

12. Secundum Errorem in Confessione suppressum dixeram: quòd Socinistæ doceant: *resurgere, nihil aliud esse; quàm ex non existente iterum existere: atq; ita etiam Christum cessasse in triduo existere: perinde acsi in nihilum redactus fuisset: & quòd asserant: animam humanam vnâ cum corpore desinere viuere.* Quæ cùm D. V. tueri non posset; nec tamen errorem fateri dignaretur; de scammate exiliens, in alia omnia abiuit. Ait: *à suo cætu credi, non Christi tantùm, sed omnium hominum animas, corporibus superstites esse.* At hoc est, manum petenti, (vt alicubi loquitur S. Hieron.) pedem porrigere. Non id Domine quæritur, quod respondes. Scio, non negari à Socinistis, animas superstites esse; (quamuis Smalc. dicat eas ita esse, acsi non sint:) id vnicum quæro; an anima à corpore separata non solùm supersit: sed etiam viuat: sitque sibi consentanearum operationum capax. Aperi Domine clarè: responde directè: num animæ à corpore separatæ viuant; an non viuant. Ignosce Domine: ægerrimè fers tibi obijci impostura: quam tamen hîc apertissimè prodidisti. Dixeras, fol. 135. *Anima humana post separationē à corpore non fit ex viuente mortua, &c. sed eandē retinet naturā extra corpus quam habuit in corpore:* hîc autem mortuis hominibus, non aliam concedis vitam: *quàm quòd eos DEVS posit revocare in vitam:* eosq; reprehendis: qui dicunt, *homines mortuos, aliqua sui parte sibi etiam & alijs viuere: inuocariq; posse.* Respondе hîc Domine sine fuco & fallacijs: quid, v.g. de anima Socini censeas: viuerenè eam, ita vt in corpore vixit? an non? si ita viuit; Ergo vt in corpore; ita & nunc intelligit: cogitat: discurrit, dolet: gaudet: aliaque, operatur; quæ, in corpore etiam somno sepulto, operari consueuerat: si ita viuit: Ergo non solum viuit Deo; in eo sensu; quòd homo, cuius erat Forma, possit ad vitam reuocari: sed etiam, quia cum sit immortalis, quantumuis separata, non potest non viuere: cùm implicet in adiecto: esse immortalem, & per mortem, desinere viuere. Si non; Ergo tibi contradicis: & vitam, animabus humanis, non aliam tribuis; quàm quæ occisis brutis animalibus tribui possit: certum enim est, etiam bruta occisa animalia, semper à DEO resuscitari, & ad vitam reuocari posse: atq; ita; in sensu Socinistarum, DEO viuere.

Pande igitur nobis tua mysteria. Scis post mortem Socini, carnem aliquandiu fuisse superstitem: scis ossa, à morte eius, etiamnum supersse: quid ergo supra hæc, anima eius habet; si solùm supersse, & non etiam, viuere dicitur?

13. Argumenta, ad quæ me remittit; solui in Speculo Socinistarum. Hîc

ei vnam apertissimam hæresim obijcio. DEO viuere; eo, & prolixiùs Smalcio asserente, nihil aliud est; quàm à DEO resuscitatum iri: inde ita argumentor. Qui DEO viuit; nondum est à DEO resuscitatus: iuxta communem doctrinam Sociniſtarum: Christus etiamnum DEO viuit: teste Apostolo: Rom: 6. v. 10. Ergo Christus nondum est à DEO resuscitatus. Vides mi Domine: in quantum te barathrum, præposterum tuendorũ alienorũ errorum studiũtrahat.

Alterum eius argumentum hîc soluo. *Dixit Apostolus, DEVM non confundi SS. Patriarcharum vocari Deum: quòd eis parauit ciuitatem. Ergo eam eis incolendam nulla ex parte dedit.* Respondeo: Distingue Domine tempora: & concordabunt Scripturæ. Parauit DEVS ciuitatem SS. Patriarchis: pro eo tempore, vt idem ipse explicauit Apostolus Hebr. 11. v. 13. & 39. quod tempus passionis & mortis Christi præcessit: at de tempore passionem & mortem subsecuto, aliter loquitur: cap. 10. v. 19. *Habentes* (inquit) *fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem, per velamen: id est carnem suam.* & v. 25. *cõsolantes vos tantò, quãtò magis, videritis appropinquantẽ diẽ.* Et c. 12. v. 22. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem DEI viuentis, Hierusalem cælestem, & multorum Angelorum frequentiam, &c. Atq; eâ, retributionis, mox à morte recipiendæ, spes*; vrgebat S. Paulum: vt *cuperet dissolui, & esse cum Christo: certus se habere, dissolutâ terrestris habitationis domo, domum non manufactam: æternam in cælis.*

15. Tertium item errorem, non tollit D. Vindex, ludicrâ elusione contentus. Dicito mi Domine, sine ambagibus: sufficienterne suam Resurrectionem, discipulis probauit Christus Dominus ex Scripturis; an non? probasse equidem conatum, omnes Euangelistæ testantur: Mat: 26. v. 31. Marci 14. v. 27. potissimùm verò Luc. 24. v. 25. 26. 37. 44. 45. 46. Ioan: 20. v. 9. Iam vos Domini Sociniſtæ iudicate: sufficienterne probauit intentum Christus, an non? si non; quis credet, Sociniſtas, sua dogmata sufficienter probare ex Scriptura; si ex ea Christus, sua ita probare non potuit? Si probauit: Ergo falsum est, quod Smalcius scripsit: certitudinem resurrectionis Christi, non posse haberi sufficientem, è libris veteris fœderis. His certè testimonijs, Apostoli in Actis, Iudæorum pertinaciam perfregerunt. Quia tamen Ethnici non erant admissuri authoritatem S. Scripturæ, ideo Apostolos, alijs quoq; præsidijs, præsertim miraculorum faciendorum virtute, instrui oportuit.

15. Quartum quoq; Errorem, non sustulit Dominus: sed glaucomate oculis Lectoris obiecto, occuluit. obieci ego Sociniſtis hunc Errorem: quòd docean[illegible]:

ant: Christum non resurrexisse in glorioso & immortali corpore sed mortali: dogma hoc, S. Scripturæ verbis, falsum esse conuici: & effugia Smalciana occlusi. Respondendum erat Domino Vindici directè: in quonam corpore Christus resurrexerit; mortaline, an immortali. At quia verebatur; ne Causam quam tuendam suscepit prodidisse videretur; nec verbulo id quod obiectum, quodq; esse erroneum probatum fuit; attigit: immortalis, mortalisue corporis nullam fecit mentionem. Ne tamen apertè, conuictum se, silentio fateretur, extra oleas salijt. *Euangelistæ*, inquit, *nos docere possunt: an Christus statim à resurrectione sua carnem & ossa habere desierit; & omnes glorioſi corporis qualitates induerit.* Ita est: docere possunt: & docent: Christum, resurrexisse in corpore, quod licet carne ossibusq; constans fuerit, ciboq, & potu se vti posse probauerit; glorioſis tamen dotibus se imbutum demonstrauerit: cùm vi suæ subtilitatis, clausas cænaculi fores penetrauit: cùm se subitò oculis & aspectui hominum subtraxit: cùm summa celeritate loca mutaret, &c. At tibi Domine dicendum erat: fueritnè hoc corpus mortale; an immortale: quod tamen facere non es dignatus: vel non ausus. Rursus ait: *A morte fuit immunis: cùm ita à DEO reuocatus esset, vt non moreretur ampliùs.* At, cur Domine Vindex, candidè non aperis; num in verbis illis; *mors illi vltra non dominabitur*; vox, *vltra*, numerari debeat à Christi exaltatione non à Resurrectione: vti voluit Smalcius? Probasnè eiusdem Smalcij dogma; quòd Christus, nec per mortem, nec per Resurrectionē aboleuerit mortis imperiū? nō cur ergo nonrefellis; quæ huic falsissimo dogmati obieci? Remittis Lectorem ad Authores; quorum verba adduxi: at cur non potiùs falsi me conuincis? cur non, Lectori id gratiæ præstas; vt per te nouerit; num ex fide, à me, verba eorum Authorum, allegata sint.

16. A morte quoq; immunem Christum in sua resurrectione, te syncere dicere, quomodo credere possum, qui sciam, à summatibus vestri cætus doceri, Christum in cælos ascendentem, corpus in quo resurrexerat abiecisse? Sed de hoc infra. Hic sisto desertissima verba Moschorouij, è Prima Refutatione P. Skarga, fol: 241. *Pan Chrystus, (mowi) po swym zmartwychwstániu, ná ziemi bedąc, miał ćiáło (carnem) y kośći: iádł y pił prawdźiwie, miał rány w ćiele swym: á ćiáłá nieśmiertelne, nie máią carnem y kośći, ran mieć nie mogą &c. bo ſą nieśkáźitelne, &c. Przeto káżdy widźi, że P. IEZVS w nieśmiertelnym ćiele tu ná źiemi nie powstał: y gdyby był w ćiele nieśmiertelnym powstał, pierwnieby był widźiány bydź nie mogł śmiertelnym okiem od wzniow swoich.* Simillima, & prope eadem verba; sunt in Antigurscio folio 356. & 360. vbi apertissimè docet, corpus istud à vobisconfictum, cum eo quod condidit DEVS, è diametro

 pugnare;

pugnare: atq; ideo, vnum idemq; corpus esse non posse. Hic Domine Vindex aut suppressæ veritatis; aut impostura reus es. Nam si Moschorouio, Smalcio, alijsq; tuis Magistris, in hoc fidei articulo assentiris; non potes ab impostura excusari: cùm dicis; te, idem, quod S. Ignatius à me citatus credere. Nam S. Ignatius credidit: Christum in carne etiamnum esse: cum carne videntibus discipulis assumptum; cum ipsa carne venturum ad iudicium: eumque in eadem carne visum iri ab eis; qui eũ pupugerint. Quæ omnia, Moschor. Smalc. alijq; tui cætus Magistri negant: negas & tu: si ab eis non dissides. Si autem dissides, cur non das gloriam DEO; & quod interiùs damnas; id ore & calamo profiteri erubescis?

Instantiæ de Elia & Enoch, Smalcium efficaciter vrgent: qui dixit: mortem in eo sensu non dominaturam Christo, quatenus decretum DEI intercessit; vt etsi mortalis esset, non moreretur. Nam & illi, etsi mortales fuerint, moriq; potuerint, ex DEI decreto, (opinione Sociniſtarum) non sunt morituri: Dogma enim Sociniſtarum est: aliquos in die nouissimo, non morituros: sed viuos ad iudicium raptum iri: & tamen etiam horum respectu, Christus vocatur primogenitus ex mortuis: quia morti fuere obnoxij.

17. *Quorsum*; (ait D. V.) *Christus sibi cibos dari petijt, & edit; si corpus eius cibis nutriri non potuit?* Horsum: vt agnosceretur resurrexisse in eo ipso corpore: quod ante mortem, & in sepulchro habuit: carne & ossibus constante: etsi infirmitati, & necessitatibus mortalis corporis non subiecto. Atq; ideo, Apostoli, cum viderunt Christum manducantem, credidere: eum, in eo ipso, quod ante viderant; corpore resurrexisse: etsi in eo, aliquas supernaturales glorioſi corporis dotes aduerterent. Per quod inanes D. Vindicis argutiæ euertuntur. Meritò hìc in eum retorserim, quæ mihi is obiecit fol. 114. *Stultas, & ineruditas quæstiones deuita: sciens quòd generent pugnas: sintq; inutiles & vanæ.* Compatior verò eidem; quòd se hìc multorum risui exposuit: cùm dixit: *quorsum stomachus, quorsum dentes, quorsum venter datur Christo, si non ciborum causa?* Egregia; & digna scilicet erudito viro quæstio! Numquid Christus, nunquid Moyses, Stomacho, ventre, dentibus carere debuerunt: quando quadraginta diebus, noctibusque sine vllo cibo vixerunt? Cibusnè solus, horum à DEO datorum, causa sit? cur non potiùs ipsius humani corporis symmetria? Quale monstrum esset: si quis nasceretur, sine ore, sine ventre, sine stomacho pedibus pectori iunctis, &c! talemne vos vultis esse Christum? Quanto melius Paulus, 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi: vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum siue,*

siue malum: vbi significatur: corpus; eorum omnium retributionem receptutum: quæ hîc pro DEO sustinuit: vti prolixè probat Tertullianus, in Speculo Sociniſtarum citandus. Hîc solum S. Chrisostomũ ea ipsa verba interpretantem affero. *Non excludetur* (inquit) *à præmio, vel pœna omne id, quod ad virtutem, vel vitium, operam suam contulit: sed vnâ, cum animis corpora partim excruciabuntur; partim coronas consequentur. At sunt hæretici,* (agnoscant Domini Sociniſtæ suos Maiores) *qui aliud corpus resurgere asserãt: vnde hoc quæso? Estnè consentaneum, vt cùm aliud peccauerit, aliud, pœnam pendat; cùm aliud bene egerit, aliud coronam referat? tum quid ad hæc Pauli verba dicturi sunt; Nolumus spoliari sed superuestiri.* Hæc obiter de Corporibus Sanctorum. Christi verò carnem, ossa, sanguinem, stomachum, ventrem, sensuum organa, quî corrupta dicunt; quid respondebunt S. Petro: Act: 2. v. 31. expresè asserenti: *Christi carnem non vidisse corruptionem?* quid Paulo, ibidem 13. v. 34. dicenti: *Suscitauit* (DEVS,) *eum, à mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem?* quomodo Christus post suam Resurrectionem non est reuersus in corruptionem, si totum illud, visibile & palpabile corpus, carne ossibus, ventre & stomacho constans, vulnerumq; retinens cicatrices, corruptum est?

Imprudens dictum, Authori Confessionis meritò obieci: quia si Titulus vnigeniti, ob resurrectionem non est perennis; Christum oportebit, desinere esse Filium DEI vnigenitum: eo quòd omnes alios titulos, è quibus eam denominationem Sociniſtæ sumunt, alijs SS. Patriarchis & Prophetis esse communes, supra iam, demonstratum est.

TRVTINA VINDICIARVM CAPITIS DVODECIMI.

Ascendit in cælum.

1. OPtassem hîc D. Vindicem, animum diligentiùs, ad ea, quæ dico; aduertisse. Non dico, ego, me Synceritatem Confessionis, hîc primò desiderare: quasi eam nusquam ante desiderauerim: quod falsum esse singulis prope demonstro capitibus: sed dico: supra errores, quos in eo capite suppressos sum enarraturus; etiam in his quæ dicuntur, me desiderare synceritarem. Non ego hîc Sociniſtas, ab obiectis imposturis absoluo: sed recensendis Sociniſtarũ Erroribus, in Confessione suppressis, præmitto, obiectionem defectus synceræ locutionis.

2. Statum mortuorum, cùm, propriè loquendo, nec infernum esse, nec profunda inferni, dicit D. Vindex; fatendum ei est: se, in sua Confessione de descensu ad inferos, à Verborum Apostolicorum proprietate desciuisse: & solius suæ Religionis analogiâ pressum, ad tropos recurrisse; propriamq; Verborum significationem, SS. Patrum authoritate spreta, deseruisse: atq; ita, verborum æquiuocatione, suo cætui imponere voluisse: vt ideo meritò hic in eo verborum candor fuerit desideratus.

3. Christum, non figuratè, sed propriè, in ea proprietate, qua cælos ascendit, descendisse, in inferiores partes terræ; animum, à pertinacia alienum, verba S. Pauli Ephes. 4. v. 9. conuincunt. *Quod ascendit*, (inquit) *quid est nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ: qui descendit; ipse est & qui ascendit super omnes cælos &c.* En clarissimis verbis ascensus & descensus, & vtriusq; motus termini; supremum cælum & inferiores partes terræ, assignantur: Quis hic locus tergiuersationi? quæ his magis propria verba effingi potuere; ad significandum: Christum descendisse, ad subterraneum locũ inferorum, & deinde super omnes cælos ascendisse? Quis vnquam somniauit, per inferiores partes tetræ, statum mortuorum significari? quis vnquam ad eum significandum, plura alia verba; supra esse mortuum, & sepultum; desiderauit? Neq; semper, proprius ascensus, & descensus, pedibus eget. Vidit Iacob Angelos ascendentes & descendentes: vidit Ioannes Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, Apoc. 18. v. 1. & alterum habentem clauem abyssi, 20. v. 1. in probaticam piscinam, Angelus descendebat: & mouebatur aqua: Ioan: 5. v. 4. Nullus horum habuit pedes: & tamen quis neget eos proprijssimè, per motum localem descendisse?

4. Non quæro ego Christum cum mortuis in abysso: (quidquid nugetur D. V.) sed credo: Christi Spiritum viuentem, fuisse cum mortuis in abysso: conuictus testimonijs S. Scripturæ, & SS. Patrum, superiùs adductis? quam veritatem etiam Rom: 10. v. 8. textus Syriacus testatur: cum verba illa; *quis descendet in abyssum?* per verbum præteritum vertit ita: *quis descendit in abyssum?* Neq; ego, Christum, esse in abysso, vel in voragine inferni, dico; sed tantùm assero: tam propriè dici; Christum descendisse in abyssum, fuisseq; cùm mortuis in abysso, quàm propriè dicitur cælos penetrasse, & esse excelsior cælis factus: quod cùm D. V. nollet intelligere; maluit cauillationi operam impendere. Ecclesiastici, totum caput 24. esse de Christi Persona, quæ sit Verbum DEVS, vel Sapientia quæ ex ore Altissimi prodijt; iam olim docuere SS. Patres; etiam Primitiuæ Ecclesiæ: eiusque verbis sunt sæpiùs ad probandam

dam Christi Diuinitatem vsi: vt suprà probatum est. Vocè masculina loco fœmininæ vsus sum: quia præmisi vocem Christi: Ecclesiasticus verò vtitur voce fœminina: quia præmisit vocem Sapientiæ: quæ tamen Christi Personam significat: vt ibi docent Interpretes.

5. De carne & sanguine Christi non oportet me, cum Apostolis disputare: (vti vult D. V.) sed cum Apostolis, eorumq; discipulis, SS. Ignatio, Clemente, Iustino, Irenæo, alijsq; omnibus Sanctis Patribus, Christum, etiamnum in cælis cum carne & sanguine esse; & cum carne & sanguine ad iudicandum venturum; credere: idq; constantissimè tueri, contra hæreses, tempore Apostolorum ortas: impugnatasq; tum à S. Paulo 2. Cor. 5. tum à S. Ignatio Epistola ad Smyrnenses: tum latissimè à S. Irenæo l. 5. c. 6. 7. 8. vbi verba illa, *Caro & sanguis regnū DEI non possidebunt*; objici ab hæreticis sui temporis solita, (agnoscat D. V. suos archididascalos) pulcherrimè explicat: & de hæreticis, tum eo, tum sequentibus capitibus, & insuper c. 32. glorioßissimè tryumphat. Eundem Tertullianus secutus, fortissimè contra eosdem hæreticos pugnat: idemq; faciunt omnes alij SS. PP. Hos cordatissimè sequor. At D. V. quomodocunque se torqueat; non potest explicare, quomodo nunc, Christus sit eadem, quæ fuit ante, persona: cùm ab eo dicatur, non esse nunc animal rationale cùm antea fuerit: immò esse homo, essentialiter, & genere distinctus ab eo, qui fuit antea: atque ita nunc distingui à seipso; vt olim in terris viuens, distinguebatur ab Angelis: &, cùm se, suosq; cætus in dogmatum explicatione communibus inniti principijs, supra sit gloriatus; hìc à communissimâ, receptissimâq; hominis definitione, recedit: hominumq; quoddam genus imaginatur: ex duobus actibus (spiritus enim esse actus, oportet:) compositum: omnino distinctum ab ea specie hominum, quæ nunc est: quod hactenus fuit orbi inauditum: Non explicat item, quomodo anima, quæ sit essentialiter Forma corporis organici, ad quod essentialiter ordinatur; possit esse Forma, corporis non solùm diuersi, sed ita oppositi; vt aqua opponitur igni: meritò vt dicatur; tam monstrosum esse, animam humanam informare corpus spirituale; quàm monstrosum est, aquam informari ab igne.

Habet ergo DV quod erubescat, ob eiusmodi Hircoceruos: me erubescere non oportet: quòd credam hominem cælos ingressurum; cumq; eis partibus; qualem eum, & cum quibus partibus creauit DEVS. Audiat D. V. latam contra se sententiam, à S. Chrysostomo homil. 31. in 1. Cor. 12. *Pereant impudici: qui DEI opera vocant in inuidiam: & faciunt: vt malè audiant: cùm tamen Apostolus dixerit: ea abundantiorem habere honestatem.* Audiat quid contra hæreticos ei

consimi-

consimiles disseruerit S. Ignatius Epistola ad Philippenses. *Quid verò virgineam improbas naturam & membra appellas obscœna, cùm nihil turpe censendum sit, vbi omne abest peccatum, nihil malum eorum quæ facta sunt; sed omnia valde bona?*

Deniq; quid erubescamus ea cælo inferre, quæ Verbum DEVS assumere, suaq; complere hypostasi dignatus est? An tu Domine putas, Verbum DEVM ea non intulisse cælo, quæ assumpsit? Quomodo ergo tibi credendũ, cum nunc hoc, nũc oppositũ dicis? Dixisti f. 157. *Christũ nunc habere corpus humanũ:* at corpus humanum aliud, nescit orbis, quàm quod à DEO conditum est: quod vtiq; conditum cum eis partibus, quas tu ignominiosas vocas; neq; tu ignoras. Deinde dixisti fol: 151. *Christus haud dubiè in ipso corpore resurrexit, quòd in cruce pependerat &c. in hoc in cœlum sublatus est; in hoc in cœlo est.* Si ita; non hîc apertè contra te sententiam dicis? Scis corpus Christi, quod in cruce pependit, non caruisse partibus illis quas tu ignominiosas vocas: iterum (id tibi exprobro Domine; ne in die nouissimo ab hoc ipso iudice, cuius corpus suggillas audias; *exprobrat factori eius*, Prou: 14. v. 31.) Cùm ergo rursus hæc Christo in cælis existenti negas; cùm id velut erubescendum populo Christiano proponis; quis non videat, te tibi non constare? Ego teneo manum: quia te, in D. IESV, propter honoratam eius Matrem, syncerè, & ex corde amo.

TRVTINA VINDICIARVM CAPITIS DECIMI TERTII.

Sedet ad dexteram DEI Patris Omnipotentis.

1. REcedit hîc D. V. à suæ Sectæ Archontibus: qui zeloziſſimè & prolixè tuentur, Christum dum in terris viueret, nec fuisse, nec esse potuisse Pontificem. En ei Socini verba, quia eis legendis fortasse non habuit otium, sisto. Ita is Præl. Theol. fol. 141. scribit. *Christus, in DEI Sacerdotem, non est reuera vnctus & consecratus, antequam in cœlum ingressus fuerit, nedum antequam crucis mortem fuerit passus.* Et infra. *Quòd nec post resurrectionem antequam in cœlum ascenderet, pontifex reuera fuit Christus; illud apertè ostendit, quòd scriptum est: Talis enim decebat &c.* Hebr. 7. v. 26. *Ex quibus verbis apparet, non decuisse, eum nostrum Pontificem esse, nec porrò fuisse; antequam cœlis sublimior esset factus.* Crassius loquitur Smalc. in Examine 100. Errorum, fol: 126. *Ita verum est, vt nihil verius: Christum in cœlis primùm factum esse Pontificem; ibidemq; primum Sacrificium peregisse.*

Idem

Idem fol: 129. in Monstris hæc habet. *Ipsissima veritas est: Christum, etiam modò, impropriè, & Metaphoricè Pontificem esse.* Hîc ergo D. V. videat: negligentiænè, an impostura se accusare debeat. Nam si de hoc; Socini & Smalcij nesciuit sententiam; negligens profectò est: si autem sciuit; & tamen tanquã sui cætus Confessionem, obtrusit, Christum in terris viuentem, & verum ac proprium Sacerdotem fuisse; & verum ac proprium Sacrificium obtulisse; ἐπιθετης est: nisi à Socino, Smalcioue desecerit.

2. Negari à vobis Christum in cælis habere corpus; quis dubitare potest, qui vestra scripta, & tuum ipsum legit? Hoc vestræ fidei proprium est: euertere verborum significationes. Corporis humani nomine, nemo vnquam aliud significari censuit; quàm corpus, carne, ossibus, sanguine, ventre, & stomacho constans: vos primi, finxistis corpus humanum sine carne, sine sanguine, sine ossibus, sine stomacho, sine sensuum organis &c. Quomodo ergo vobis credendum; qui aliud loquimini: aliud, quàm quod verba, ẽ totius Orbis assensu significant; intelligitis?

3. Ampliùs: dicit D. V. *Christo aptatum esse corpus, vt in cælis offerri posset.* Num ergo illud in terris offerri non potuit? quomodo ergo Christum in terris, verum & proprium Sacrificium petegisse, intelligis? si corpus non nisi ad hoc habuit aptatum, vt in cælestibus adytis offerri posset? Quomodo verò Christus in Sancta, (id est in cælos) per proprium sanguinem, oblaturus Sacrificium, est ingressus, si eum, vti dicitis, non intulit cælis?

4. Glossæ aliorum locorum, (quanquam aliquot potiora omissa) voluntariæ, nullâ ratiunculâ probantur: quis ergo eis, etsi communi, SS.PP. & Theologorum assensui dissonis, assentiri volet? Quis illi decreto, non audita parte lato, *Intelligitur igitur, &c.* subscribet Amen?

5. Quòd D. V. Mortem Christi, Sacrificij eius saltem initium fuisse, docet; minùs distat à regno Dei, quàm illi; qui Christum in terris viuentem negarunt fuisse Pontificem: ideoque neq; incipere potuisse Sacrificium: sed solùm præparare: vti sæpe loquuntur Socinus & Smalcius: videntur tamen illi à quibus D. V. recedit: magis consequenter loqui. Quia enim legerunt, vnâ oblatione Christi, nos esse sanctificatos; & videbant se duas Christi oblationes admittere debere, si Sacrificium Christi in cruce cæpisse dicerent; (siquidem vna dici oblatio nequit, quæ quadraginta diebus interrupta sit) ideo, vt verborum Apostolicorum sono consonè canerent: maluerunt negare; (etsi reclamantibus pluribus S. Scripturæ verbis) Christum in cruce Sacrificium coepisse; quàm duo interrupta, totoq; cælo diuersa, Sacrificia admittere. At D. Vindex; qui ait, Sacrificium Christi in cruce & morte coepisse: sed in cælis consummatum esse:

qua ratione, vnitatem oblationis Christi, ab Apostolo disertissimè assertam, in sua sententia, retinere possit; stante ea, quam dixi, Sacrificij interruptione, & diuersitate; penitus ignoro. Illud omnino, D. Vindicem, veritatis & candoris, vt opinor, studiosum; summè dedecuit: Verba S. Scripturæ corrumpere: quod hîc ab eo est factum. Nam vbi Apostolus, Heb. 1. v. 3. dixit: *Christum purgatione peccatorum facta, consedisse in throno Maiestatis:* ibi ille dicit: Christum cælestia adyta, ad peccatorum purgationem perficiendam ingressum esse: non Scripturæ solùm, sed sibi ipsi contrarius: vt pote, qui in Explicatione locorum S. Scripturæ; verba Apostolica, ita verterit: *przez siebie sámego oczyśćienie spráwiwßy, vśiadł, &c.*

6. Christum verè & proprijssimè esse Sacerdotem; tota fere Epistola ad Hebræos probat. Meritò ergo reprehenditur Smalcius: dicere ausus: *Christo, non nisi figuratè munus Pontificium tribui:* quod D. V. dissimulauit.

7. Non debuit D. V. tantopere indignari: quod verba illa, *ad diem tantùm iudicij* textui meo, eodem literarum Charactere inseruerit typographus. Factũ id esse, præter voluntatem meam, satis probant, interposita à me, & à typographo, expressa parentheseos signa. Deinde, cùm eorum cætus, regni Christi durationi terminum, diem iudicij præscripserit; cur ægre fert D. V. istud suæ Confessioni, ad eius complementum, esse adiectum?

8. Quod ad Christi cultum attinet: si, D. V. cultus Diuini nomine, aliud quid intelligit; quàm quod intelligit orbis Christianus; æquè impostor est: atq; fuit ille Persa: qui Christianis illusit dicendo: Soli Deo honor & gloria. Quærimus omnes Christiani, è Sociniſtis: Colitisnè Christum cultu Diuino? Ita omnino: (inquiunt.) Colitisnè Christum vt DEVM Patrem? Colimus: aiunt. Pergimus: Pater colitur per hoc, quod agnoscitur & honoratur, tanquam Creator cæli & terræ: tanquam causa prima independens: tanquam DEVS Summus: Colitisne ita Christum? Minimè: inquiunt. Quæ ergo euidentior impostura dari potest hâc? dicere quòd Christus colendus sit cultu Diuino, & vti Pater; sed tamen per eum cultum intelligere nolle id; quod intelligit Orbis Christianus? Hocne decet viros ingenuos: & Religionem, (vti iactant) veram, & solam Christianam professos? Religiosam corporis animique demissionem, exhibuit Angelo S. Ioannes: neque tamen quisquam, tanto Apostolo obijcere potest, eum ei exhibuisse honorem Diuinum. Procidebant ante Angelos, Abraham, Loth, Moyses, Daniel, alijq; Patriarchæ & Prophetæ, eosq; religiosa corporis animique demissione venerabantur: quos tamen constat non nisi vnum Deum diuino cultu coluisse. Fallax igitur admodum impostura est: dicere quòd Christus colendus sit cultu Diuino: vt DEVS: vt PATER: sed per eum

cultum

cultum, non alium intelligere; quàm qui Angelis, alijsq; viris Sanctis, tam viuentibus in terris, (vt Eliæ, Elisæo, Samueli &c.) quàm defunctis, vt Oniæ vel Hieremiæ, exhibitus sit. Vnum hic insuper D. Vindici dubium propono. Quando Angelus S. Ioanni dixit; Deum adora: vel voci DEI, incluſit Christum: vel non. Si incluſit; quare eum vos ab vnitate Essentiæ Diuinæ, eique debitæ adorationis, excluditis? Si non incluſit; quare vos eum, quem negatis vsquam dici subiectiuè Deum, cultu Diuino adoratis?

9. Non insulsa, sed æquissima Sociniſtarum reprehensio est: quòd doceant Christum in terris fuisse Semideum: Semidominum: Semifilium: quo dissimulato D. V. in alia digreditur: suasq; ventilat gloſſas: nulla adiecta probatione. Ait primò sibi obijci: quòd Christus non fuerit in cælos exaltatus ante suam exaltationem. At hoc est omnino nugari. Quis enim hoc, qui Scriptum meũ, & quod in eo capite obijcio, legit; vel per somnium cogitasset? Ne illudatis Domini hominibus: nec vocibus alias affingite significationes, quàm ex impositione populi Christiani habeant.

10. Ait Christum, *fuisse perfectè DEI Filium, Dominum, & Deum, & Saluatorem, secundùm, mortalis naturæ, humilis illius ſtatus, mortis, & reſurrectionis modum ac rationem.* At hæc ipsissima, non (vt ille loquitur) veritas: sed illusio est. Ita ego dicere possem, D. Ionam, etiamdum Dialecticæ, vel Grammaticæ studuit, fuisse perfectè Theologum, perfectum S. Scripturæ interpretem: perfectum cætus Sociniſtici Ministrum: secundùm, illius ſtatus, modum & rationẽ: quod cui non moueat ſtomachum? Ostendat D. V. vel vnicum, è locis à me citatis, S. Scripturæ locum, in quo aliquod, præscriptorum à Sociniſtis, Christi Filiationi, Dominio, Deitati limitum, fulserit vestigium. Locis omnibus citatis, procul omni limitatione, vocatur ante suum in cælos ascensum, absolutiſſimè Filius DEI: Dominus Sabbati: Dominus Dauidis: Saluator: Verbum DEVS; æqualis Patri: cuius omnia essent, quæcunq; haberet Pater. Sui verò sensus, non potuit D. V. aliam dare rationem, præter hanc; *res ipſa docet*: at quia hæc res non alia est, quàm exigentia fidei Sociniſticæ; ideo nihil probat. Quia verò D. V. fol: 170. quærit; an Christus infans, etiam cùm mortalis, & pauper & infans esset, potentiam habuit quam nunc habet; an verò fuerit tum semideus, vel semidominus, vel semifilius; eum remitto ad Smalcium diserte hos titulos in Christo agnoscentem: in Examine 100. Errorum, Err: 24. & 26. vbi ait: *tantùm non idem verbũ esse hæc: esse non perfectè Deum quod Semideum: & esse ſemifilium & ſemidominum, quod esse non perfectè Christum, vel Filium* DEI. Apud me, Christus etiamnum infans; fuit VERBVM DEVS Homo factus: iam tum habens, quidquid haberet Pater: & operans, quidquid operaretur Pater: vti

sipemet Matt: 11. & Ioannis 5. testatus est. Nunquam Christus, etiam cùm se exinaniuit, Formam DEI deposuit: semper eam, cum assumpta Forma serui retinuit: quod facit; vt me quæstiunculæ D. Vindicis nihil vrgeant: vti illum vrgent meæ: vsq; adeo, vt nihil apertè respondere potuerit ad hoc: an Christus dum in terris viueret, comparatus ad ea quæ nunc habet, fuerit semideus: semidominus: semifilius: siquidem hæc, non aliud significare; quàm non esse perfectè Deum, nec perfectè Filium, nec perfectè Dominum, agnouit Smalc. supra citatus: immo lib: de Erroribus fol. 179. ait: *per vocem semidei, & semidomini, imperitè admodum suam de Christo sententiam describi. Nam id quod in Christo mortali apparuit*; (dicere debuerat, fuit,) *Deitatis & dominij; non dimidium eius, quod nunc habet, sed vix centesima pars censenda est.* Videsne Domine Vindex: quantopere hominibus tuâ Confessione imponas; grauissimas Christi Domini iniurias, à tuis summatibus ei illatas, vaferrimè reticendo: & quasi nihil aliud, quàm quod Confessio præfert, cætus vester credat, simulando.

II. Id de Christo confiteri Sociniſtas, quod is de seipso confessus est; grande mendacium est. Interrogatus est Christus, id ipsum; quod multò ante, non sui, sed discipulorum gratiâ, interrogabat per internuncios, S. Ioannes Baptista: *Tu es qui venturus es; an alium expectamus?* quis verò ille qui erat venturus? significauit Christus, illum esse venturum: qui Isaiæ 35. vocatus est DEVS IPSE: eumq; se ipsissimũ esse; effectibus ab Isaia prædictis, probauit. Meminerat Caiphas, Christo esse exprobratum; Ioan: 5. v. 18. quòd *Patrem suum diceret Deum: quòd æqualem se faceret DEO:* quòdq; hoc ipsum per opera Diuina, sibi cum Patre communia, probaret. Meminerat, suis ei obijcientibus, quòd cùm homo esset faceret se DEVM, sufficientissimè responsum esse. Non igitur, eũ, alia de causa blasphemiæ damnauit: quàm quòd interrogatus, an esset Christus ille; Isaiæ 35. adpromissus; an esset ille Filius DEI, quem suum Dominum profitebatur Dauid; cui (teste S. Iustino & Irenæo) SS. Patriarchæ & Prophetæ diuinos exhibuere honores; respondit, *Ego sum:* idq; probauit ex eo: quòd eum visuri essent; sedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cæli. Si Caiphas, alijq; Iudæi, locuti fuissent, de tali Christo, vel Filio DEI, qualem Sociniſtæ imaginantur; nimirum tali vnctione & filiatione, quam etiam sibiipsis arrogabant; non potuissent Christum damnare blasphemiæ; nisi etiam in seipsos, qui se Filios DEI, gentem electam & ad singularia munia designatam & sanctificatam gloriabantur; eãdem ferrent sententiam. Meritò ergo blasphemi, & Christiano indigni nomine pronunciantur: qui neq; ipsi Christo, iuramento vrgente, disertissimè se, illum Isaiæ 35. adpromissum Christum, esse, asserenti; fidem dare Caiphatica obstinatione, dignantur: immò,

quod

quod summè deplorandum est; Christo, ante Caipham se, illum, à Prophetis prædictum, DEI Filium profitenti, negant à DEO PATRE dictum esse; *Filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Ita enim loquitur Socin. l. de Seruatore fol: 193. *Hinc apparet: non priùs fuisse creatum à DEO verè Pontificem quàm, ei diceretur; Filius meus es tu &c. sed id ante resurrectionem ei dictum non fuit: teste Paulo Act. 13. v. 33. Ergo ante resurrectionem, & sic antequam pateretur, Christus Sacerdos inauguratus verè non fuit.* Quod ipsum repetit: Præl: Theol. c. 29. fol: 191. quasi non sufficienter eum esse suum Filium, testatus fuisset DEVS PATEV verbis illis: *Hic est Filius meus dilectus: in quo mihi complacui:* & quasi non satis clarè eam filiationē professi essent Apostoli; Petrus: Matt: 16. Ioann: 1. v. 14. vbi dicit: *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre.* & infra: *Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* Quomodo verò tum vnigenitus esset; si adhuc tum genitus non esset?

12. Christo dum ante omnia sæcula, mundumq; conditum, omnem in cælo & in terra datam potestatem, D.V. dicit: aut in nostras transijt partes: & nobiscum, Christum esse Verbum DEVM, ante omnia sæcula genitum, cæliq; & terræ conditorem confitetur: (quod Sociniſticus cætus pertinacissimè negat: cum Samosathanistis asserens, Christum antequam ex B. Virgine nasceretur, nullam realem existentiam habuisse:) aut, quod verisimilius est; solito artificio, suo rudi popello illudit. Quomodo enim is, syncerè dicere potest, Christo ante omnia sæcula, datam omnem potestatem; qui negat Christum ante Cæsaris Augusti tempora fuisse? Quid defendis Domine Iona! cui respondes? Mihinè? certè ego, non errorem, sed ipsissimam veritatem dixi esse: quòd Christo ante omnia sæcula, omnis data sit potestas: eos autem impugnaui: qui verba Euangelica, in præterito tempore dicta, vel restringunt: vel ad prædestinationem trahunt. Dic apertè Domine: an iam ab eis desciuisti: an verba, de potestate, Christo ante omnia sæcula data, quæ ad prædestinationem alibi traxisti; hic reuocas? an omnem, in cælo & in terra potestatem, Christo, ante eius in cælos ascensum, actu ipso datam esse credis? Adhæres Socini analogiæ: an non? Frustra dissimulas: quis enim celauerit ignem? Lumine qui semper proditur ipse suo.

13. Chiliastarum causam non ago: sed euidenter demonstro: admissa Socinistica, S. Scripturæ explicandæ methodo; solutiones Chiliastarum, quas dare solent Socinistis; si eos instantijs, ex eorum glossis, assumptis petere velint; esse insuperabiles. Faciat periculum D. V. vel in vnico, quod adduxi, soluendo argumento. Cur conticuit? cur suam Scripturæ tuendæ methodum, quæ

à me hac Chiliastarum ὑστέρᾳ, euertitur, non defendit? Hoc est suam causam bene defendere? an ego meam defendere non possim; iudicabit æquus Lector. Certè vbi aduertet, meis argumentis pressum, D. Vindicem, sæpiùs ad impostura; æquiuocationes, pseudologias confugisse; dicet: Non est de nihilo: credite causa subest. Mihi pro minimo est; vt ab humano die iudicer: cùm præsertim sciam; infecto vasi, quidcunq; insunditur; aceſcere.

14. Errorẽ de restricta potestate Christi; esse cõmunem cætui Sociniſtico; conuincit liber de Diuinitate Christi: nomine cætus Rak: Sereniſſimo Regi Sigiſmundo III. oblatus: in quo ea restrictio, c. 18. Lat. fol: 113. & c. 19. fol: 118. & c. 20. folio 130. diſertiſſimè asseritur: vt & in Priori Catechiſmo Socini: an: 1618. edito: fol: 30. A quibus si resilijt, D. V. sit nomen Domini benedictum. Vtinam r siliat etiam ab alijs. Multò verò magis gaudeo: si idem syncerè reijcit dogma Sociniſtarum eorum; qui diſertiſſimè, etsi blaſphemè, ausi sunt asserere: quod DEVS PATER omni abdicato regimine totum in Christum gubernandi mundi negotium transtulerit. Par profecto fuit: D. Vindicem, Zeloſiùs hîc DEI PATRIS regimen tueri: & aliquo verbulo innuere: quòd nos Deus regat, uon solùm per Christum: sed etiam per seipsum: refelle reque Smalcium audaciſſime in Exam. 150. Err: dicenrem: *Diſertè dicimus: Deum in ſua Perſona neminem nunc regere &c.* Et lib: de Error. fol. 89, de Christo dicitur: quòd *ita regnet ſuper populum ſuum, vt Deus ſuper eum regnet.* Et fol: 109. *Non Pater; ſed Chriſtus uos regit & ſaluat.* Et fol: 309. *Nimis certum eſt: Deum nunc non in ſuâ perſonâ regnare, &c.*

15. Non Apoſtolis ego, sed Sociniſtis, peruersè, multisq; expreſſis S. Scripturæ verbis diſformiter, vnum textum Apoſtolicum gloſſantibus, errorem obijcio. Nullus vnqnam Apoſtolus dixit: Christi regni finem futurum: immò oppoſitum locis à me citatis, S. Scriptura docet: quæ. non ad amuſſim verborum, vnius loci, trahi debent: sed potiùs, vnicus ille locus, olim ab Arrianis obijci ſolitus, & nunc à Sociniſtis, ſpretis SS. Patrum explanationibus, arreptus; ex ſenſu pluriũ S. Scripturæ teſtimoniorũ explicandus eſt: idq; eò iuſtiùs, quo plura, è gloſſa Sociniſtica, ſequuntur abſurda. Ex ea enim ſequitur primô: Chriſtũ hominem nunc, non eſſe DEO Patri ſubiectum: ſed modò primũ poſt diem iudicij ſubiectum iri: atq; ideo DEVM PATREM, nunc, nec eſſe actu Chriſti DEVM: nec Caput. Quomodo enim, DEVS, vel Caput, eius eſſe poſſit, qui ſibi, ſubiectus non ſit? Sequitur ſecundò: DEVM, modò non eſſe omnium creaturarum Dominum: ſiquidem vna creatura ei non ſit ſubiecta: Sequitur tertiò: DEVM nunc non eſſe vniuerſalem Cauſam Primam: ſiquidem aliqua è

Cauſis

Causis secundis reperiatur: quæ in suis operationibus, eius concursu vel influxu non indigeat: & quæcunq; velit, sine vllo DEI auxilio, peragere possit.

Ita fit, vt, dum à Christo duas naturas excludimus: quarum interuentu, facillimè possunt conciliari Scripturæ, ipsa nobis lux Solis, tenebrarum Ægyptiarum faciem, exhibeat. Ita factum: vt & hîc D. V. (contra quam Nobilem virum deceret) sibi bene cognitam deseruerit veritatem.

16. Ait primò: *necse, nec suos negare æternitatẽ regni Christi.* Atqui meminisse debuit: quid à suo Episc: Smalcio l. de Err: fol. 14. fuerit dictũ. *Smiglecius,* (inquit) *contra expressa Apostoli verba dicit: Christũ, etiam tunc regnaturũ; cum regnum suum DEO & Patri tradiderit.* Et infra. *Regnum propriè loquendo requirit; vt is qui regnat, alijs dominetur: Quod* (nempe vt Christus, tradito regno, alijs dominetur.) *quomodo fieri poterit, siquidem vna cum Christo fideles eius regnaturi, & in throno eius sessuri sunt? vt enim nunc Christus, Patri subiectus non est suo modo;* (solemne huic Saxoni diuerticulum est: suo modo:) *quia in solio Patris sedet: & vná cum Patre regnat: ita etiam tunc, fideles, suo modo, Christo subiecti non erunt: ideoq; non regnabit,* (NB. Domine) *super illos Christus: quia in ipsius solio sessuri sunt: & vnâ cum eo regnaturi.* Similiter loquitur, in Refutatione Thesium Schopperi, de SANCTISSIMA TRINITATE: fol: 36. *Licet* (post diem iudicij) *inter omnes fideles, Christus sit futurus excellentissimus; quia tamen illi, vnâ, cum eo regnabunt: subiecti ei non erunt: vt etiam Christus, nunc, quamdiu regnat, Patri suo subiectus non est.* Mitto: quàm stulta sit Smalcij, sui absurdi probatio: ex qua sequitur: DEVM, neq; nunc regnare; quia in eius solio sedet Christus: & cum eo regnat: neq; post diem iudicij regnaturum; quia, Fideles, sessuri sunt in solio, non solum Christi, sed & DEI: & regnaturi non solùm cum Christo, sed & cum DEO; vt patet ex Apocalypsi: mitto inquam hæc: hoc vrgeo: falsissimum esse: quòd à Sociniſtico cætu credatur, Christi regni nullum fore finem. Plurimis id ipsum locis Smalcij, & Wolkelij demonstrare possem, nisi, quæ adduxi, sufficere censerem, ad hoc probandum, quòd falsò dicat D. V. fol: 116. *non negamus æternitatem regni Christi.*

7. Ait secundò: me in explicatione verborum Apostoli dixisse: Christi regnum præsens, in die nouissimo ita esse finiendum, vt Christus sine vllo regimine in posterum sit: Hoc mihi obijcit; fol: 167. 168. 172. 174. sed totidem vicibus (absit verba inuidia:) calumniatur.

Relegat studiosus veritatis Lector verba mea: & erit magnus Apollo: si D. Vindicem, à mendacio poterit absoluere. Dixi primò: Christum quâ hominem ab eo regimine, alijsq; functionibus, quibus nunc vtitur in regenda Ecclesia, post diem iudicij destiturum: totamque militantem Ecclesiam DEO

Patri

Patri traditurum: vtpotè non amplius, Sanctorum & tabernaculi Ministrum futurum: cùm è tabernaculo, ad cælestia adyta fideles toto orbe collectos, deducet. Dixi secundò: tunc finem mundi fore; cùm omnia subijcientur Christo: deinde, ne quis existimaret; eum tunc secundum humanitatem, non fore subiectum PATRI; additum esse, *etiam tunc*, (τοτε καὶ) *eum illi fore subiectum*: Deumque, ita tunc, vti nunc, Christi qua Hominis, Deum, Caputque futurum. Hîc ego, etiam à rigidissimo Censore peto: vbi vel vestigium huius, quod mihi à D. Vindice affingitur; Christum tunc sine vllo futurum regimine? si hoc, è similitudine, postremò adducta, extorsit D. Vindex; fecit iniquissimè. Consultò ego adieci: *Posse hoc aliquatenus illustrari modo loquendi*: quo ipso, clarè significaui: per similitudinem allatam, solùm aliquatenus modum loquendi, de subiectione Christi posse illustrari: non autem dici: Christum post diem iudicij nullum regimen habiturum. Paulò ante, quòd Typographus, verba illa, (ad diem tantùm iudicij) me nec volente, nec aduertente, eodem Charactere, textui inseruerit; grauiter est inuectus in me, D. V. an non ergo meritò, hîc verba ei, quibus me excepit, remetiar? Itane decuit, Virum grauem, & Religionem Christianam professum, ea mihi affingere; quæ neq; in cogitationem vnquam venerunt? En cape experimentum Lector: quàm tutò Socinistarum criminationibus credere debeas. Et tamen D. V. cùm suis suorumq; verbis multas subesse imposturas dicitur, grauissimè indignatur.

18, Christum ego, etiam quâ hominem, æternùm regnaturum credo, supra Ecclesiam tryumphantem: huiusq; regni dominium, non solùm in beatas mentes, cæliq; ciues, sed & in eorum aduersarios, dæmones, hominesq; damnatos perenniter exerciturum. Atque ita Ecclesiæ militantis, in tryumphantem; per Christum facta commutatio, erit Regni illius à Daniele descripti, à Gebriele promissi consummatio: & æternùm duratura continuatio. Voces ergo *tradet regnum*; non significant; regni Christi resignationem: sed, vti, Gallicanæ Ecclesiæ Apostolus S. Remigius interpretatur, in eam ipsam Epistolam scribens: factam, per Christum, electorum omnium in cælum deductionem: eorum ue DEO PATRI præsentationem. Nec enim vox *tradit* necessariò, in S. literis significat resignationem: sed sæpe communicationem, vel præsentationem, seu propositionem. Dicit, v. g. Filius: Omnia mihi sunt tradita à Patre: Mat: 11. v. 21. Ergo sibi nihil reliquerit PATER? Traditus est Christo liber, Isaiæ: Lucæ 4. v. 17. i. e. oblatus: exhibitus: præsentatus. Apostoli tradiderunt Epistolam Antiochenis: Act: 15. v. 30. i. e. obtulerunt: vel ptæsentarunt. tradiderunt Epistolam præsidi: Act: 23. v. 33. i. e. exhibuerunt. Deniq; cùm in ea

ipsa

ipsa Epistola loquitur S. Paulus: c. 11. v. 2. *sicut tradidi vobis:* & v. 23. *Accepi à Domino quod & tradidi vobis:* num ibi quis resignationem intellectam somniabit? Quid apertius? quid planius? quàm verbis S. Pauli, significari, post Christi iudiciariam sententiam, factam ab eo, Ecclesiæ militantis, vel fidelium omnium, ad solium Diuinæ Maiestatis deductionem: eorumq; Sathanæ impugnationibus ereptorum, tryumphatricem Diuinis oculis præsentationem. Hic nullius absurdi periculum: & commodissima Sacri textus connexio est: quâ, scilicet, significatur, Christum quâ hominem, etiam post debellatum Sathanam, eiusq; sodalitium, post subiecta sibi omnia, post sua omnia membra cælestibus adytis inducta; DEO subiectum futurum: eidemq; in regimine Ecclesiæ tryumphantis, ita fore subiectum; vt nunc est subiectus in regimine Ecclesiæ militantis. Per quod omnes D. Vindicis impetitiones propulsantur: vt eas applicanti patebit. Nec enim, per specialem gubernandi modum, aliud intellexi, quàm regnum Ecclesiæ militantis: quod, nunc dico, DEO & Patri tradendũ à Christo: nõ quòd illi sit renunciaturus; sed quòd munere sibi demandato perfunctus, congregatos in vnum filios DEI, qui erant dispersi, Ioan: 11. v. 52. DEO Patri sit præsentaturus: Verbaq; illa omnia Ioan: 17. descripta, generosissimè repetiturus: ac illa præsertim, v. 25. *PATER quos dedisti mihi: volo: vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem.*

Ex dictis patet: falsissimum esse, vocatum vllibi à me, Christum prorege. Apud Smalcium tales loquendi modi quærendi essent. Ille, l. de Err.: fol. 333. fatetur: *quòd Christum, generalem DEI Vicarium faciat:* Et fol: 44. dicit: *quòd loco DEI regnat super populum suum:* & fol: 50. *quòd DEVS eum, sui loco ad tempus velit regnare:* & lib: de Diu: fol: 117. *quòd vices DEI gerat quodammodo &c.* Patet secundò falsissimum esse; dictum vllibi à me: Christum post diem iudicij sine vllo regimine futurum: hoc potius à Domino Vindice credi, verba eius sequentia testantur. *Atqui* (inquit) *etiam nos de Christi regno loquimur: quòd quâ Christus proinde quâ homo à DEO accepit.* Quid verò de hoc regno loquimini aliud, quam quod immediatè præcessit: finiendum illud esse: Christumque sine vllo regimine futurum.

Patet tertiò: in quo sensu, DEVS Homo, etsi DEVS Altissimus sit, æternùm etiam quâ homo, regnaturus; intelligi debeat, regnum DEO traditurus: eidemque esse, & æternùm fore subiectus.

Patet quartò, summè fuisse opus, dici Christum etiam tum subiectum fore DEO; cùm ei subiecta erunt omnia; cùmq; ipse, etiam qua homo, de suis omnibus ho-

bus hostibus, & morte tryumphabit: tum enim videretur dubium, an tantus Rex & Dominus, subijci DEO, non esset desiturus.

Patet quintò. nodum à me propositum, ita nodosum esse: vt eius dissolutionem, ne tentare quidem potuerit D. V. nisi ipsius nodi alteratione.

Quæsiui ego: an vnquam Christus, sit futurus actu Dominus omnium: Hunc terminum, (actu) suppressit D. V. immò neq; de dominio quidquam locutus est: distinctionem subiectionis attulit, quæ nihil facit ad propositum. Sic enim ego arguo. *Quousq; Christo non erunt omnia subiecta; non erit ille actu Dominus omnium. Ad diem vsq; iudicij non erunt omnia subiecta Christo. Ergo ad diem vsq; iudicij, Christus, non erit actu Dominus omnium.* Tum rursus. *Quando Christus tradet regnum DEO PATRI* (in vestro sensu) *non erit actu Dominus omnium. Quando Christo subijcientur omnia, tunc is tradet regnum DEO PATRI. Ergo quando Christo subijcientur omnia, non erit is Dominus actu, omnium. Nunquam ergo erit actu Dominus omnium. Videbo libens: quomodo hic suâ se distinctione euoluet D. Vindex.* Interea probatum maneat, D. Vindicem, neq; attingere, nedum soluere potuisse hunc nodum.

Patet sextò, friuolam à D. Vindice afferri S. Scripturæ conciliationem. Non respectiuè enim, sed absolutè loquitur Gabriel: *Cuius regni non erit finis.* probet D. V. ex quo Gabrielis verbulo hanc limitationem, quam affert, exsuxerit: explicet: quomodo non implicet in adiecto: dicere; aliquem sine fine dominaturum: & tamen cum fine sæculi dominari desiturum. Doceat: super quem Christus, post diem iudicij regnaturus sit: & Smalcij argumentum soluat. Suspectum enim est: quòd de hoc regno nihil plus scribat D.V. quàm quòd sit futurus summo apud Patrem loco: (quod tamen, regnum esse, negat Smalc.) esse Ecclesiæ Caput: esse excellentissimum omnium hominum & Angelorum: eorumq; Dominum, & Hæredem. At de Regno quid? quod amplius supererit ei regnum, cùm hoc, quod nunc habet, (iuxta vestrum sensum) resignauerit?

20. At iam veniendum est ad quæstiunculas: quas, cùm in me reprehenderit; D. Vindex; magno hic numero congessit.

Quærit primò: An Summus DEVS, regnum suum deponere: & vlli subiectus esse possit? Respondeo: si assumpserit formam serui, in similitudinem hominum factus; atq; ei quâ tali, aliquod fuerit datum imperium; posse eum, si velit, illud deponere: & esse subiectum: quanquam per allata Apostoli verba, non depositum à Christo regnum; sed ab eo partum, Deoq; & Patri oblatum, vel exhibitum, significari; iam probaui. Eundem, quâ hominem, ita tunc fore subiectum, vti nunc est: è particulis τοτὲ καὶ probaui: quam interpretationem, secut⁹ est, iam olim S. Aug. l. contra Sermonem Arrian. c. 30. vbi docet: dixisse

Apostolo

Apostolum: etiam tunc Patri Filium subiectum futurum: tum quia semper illa in Filio Forma mansura sit, quâ semper maior est Pater: tum ne quis putaret; spiritum, & corpus eius humanum, in Diuinam substantiam commutatum iri; vti eius, & S. Greg: Naz: temporibus, aliqui censuere. Supercilium D. Vindicis, & sannas, quibus hîc me excipit; non moror. Videat qui vult Lexica: & intelliget: quid sapiant. Ad rem quidem plurimum facere, quidquid dissimulet, aduertit: quia per eas particulas, ita versas, facilè intelligitur: doceri ab Apostolo: quòd Christus, quâ homo, vti nunc subiectus est DEO & Patri, nondum subactis hostibus; ita etiam Victor, cùm partâ de Sathana Victoriâ, spolijsque omnibus detractis, regnum sanguine partum, integrum fidelium regnum, DEO exhibebit; subiectus esse non desinet.

At versio D. Vindicis, & nexus particulæ ET; vetus Sociniſtarum ædificium demolitur: Si enim τοτὲ καὶ non significat, *tunc demũ*, vel *tunc primũ*; quomodo ex his verbis probabitur; quòd modò, Christus non sit subiectus Patri? Smalcius certè videtur, eum dictarum particularum sensum, pro Fundamento assumere: cùm l. de Err. fol: 63. (& alibi sæpe,) dicit: *Apostolo is contradicit, qui IESVM hominem, hodie* (DEO) *subiectum esse dicit. Nam si subiectus nunc esset, subiectum eum futurum, dici nullo modo posset.* Vbi manifestissimum est, pro primo principio assumi: quòd hîc τοτὲ καὶ, significent; tum demum: vel tum primùm.

Quærit secundò: cur hîc Apostolus Filium à Deo distinguat? cur hunc vocet Patrem non etiam Filium? Respondeo: Quia hîc agit de Christo à mortuis excitato: qui non est DEVS Pater: sed Filius: cui omne iudicium dedit Pater.

Quærit tertiò: quî fit, vt alius cuncta eius pedibus subiecisse dicatur? Respondet S. Chrysost: *quia* iam dixerat de Filio supra: v. 24. *cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* addo: alibi ad Philip: 3. v. 21. dici: quòd *Christus possit sibi subijcere omnia:* quia scilicet, quæcunq; facit Pater, hæc & Filius similiter facit.

Quærit quartò: Cur regni eius, quâ Summus DEVS est, nulla fit mentio? Respondet S. Chrys: hîc: quia hîc agitur de fine mundi, & Ecclesiæ militantis, in tryumphantem commutatione: & in cælos in conspectum DEI deductione: non autem de Regno, quod Verbum DEVS, ante assumptam Formam serui, supra conditum à se mundum habuit: quod nullam includit subiectionem: sed omnimodam æqualitatem.

Quærit quintò: Cur Summus DEVS Proregem se faceret? Respondeo: Non fecit: nec feciſſe vllus vnquam Christianorum dixit. Soli Sociniſtæ ea

dicunt: ex quibus id manifestè sequitur. Quindecim circiter, locis mihi notis, Smalc. hæc verba habet: *Christus nunc loco DEI Patris regnat: vice Patris, vel nomine Patris nos regit & similia:* vel ergo nunc Christus loco Patris regnat, vt successor: si scilicet ita regnet, vt Deus Pater non regnet: (quod locis citatis supra, & insuper l. de Err. fol: 44. docet Smalc.) vel vti vicerex, seu, quod idem est Prorex. At Successorem Christum, sibi à Clementino obiectum, pro calumnia D. V. accepit: Antopol: fol: 46. Ergo nolit velit; fateri cogitur: Christum nunc, apud suum cætum, viceregem, vel Proregem esse: nisi malit Smalcio, alijsq; docentibus, Christum nunc vice Patris regnare; anathema dicere.

Quærit sextò: An Christus infans fuerit semideus &c. Respondeo: iam dixi: Christum apud me, statim ab initio fuæ conceptionis, esse Verbum Deum carnem factum: cui nato Angeli, & stellæ seruiuerint: quem etiamnum vtero inclusum, Elizabeth Dominum suum agnouerit: quem quantumuis pauperem Nathanael Regem Israel salutauerit: Cuius potestati, venti & maria, & dæmonia obedierint. At cætus Socinisticus quid de Christo infante, quin & viro, ante eius exaltationem credat; videre licet apud Smalcium, in Examine 157. Err. vbi fol: 6. docet: *nihil verius esse eo: quòd Christus infans, Deus revera non fuerit: quòd in eo ab ipsa conceptione, & natiuitate fuerit nihil, quod eum DEVM esse ostenderet: quòd non fuerit perfectè Christus: quòd neq; tunc, neq; totis triginta annis Saluator reuera fuerit: quòd non fuerit Dominus, quamdiu nemini imperauit: quòd non fuerit ab infantia Spiritu S. repletus: quòd in sua infantia vsum rationis non habuit: quòd in sua infantia veram Sanctitatem non habuit: quòd ex aliena materia à DEO ad Christi corpus gignendum allata Virgineoq; sanguini adiecta conceptus sit: quòd ipsa veritas sit: Christum in sua infantia non fuisse Filium DEI eâ ratione, quâ tota vita fuit Filius DEI:* (Ecce Semifilium!) *quod ridiculum sit dicere: Christum in præsepio iacentem, Diuinam potestatem habuisse &c.* Satisfactum opinor iam, quæstiunculæ propositæ.

Quærit septimò: (alia enim iam supra soluta) An nunc DEVS, non dominatur, nec glorificatur in omnibus? Respondeo primò: quærat id ex sui cætus Episcopo Smalcio: in Thesibus Schopperi, fol. 35. in Monstr: fol: 138. & alibi, sæpe docente: Deum nunc, non esse omnia in omnibus. quodsi ita est; quid mirum, si non in omnibus dominetur, & glorificetur. Respondeo secundò: Deũ nunc dici: non esse omnia in omnibus: nec dominari, & glorificari in omnibus: in eis scilicet qui nondum sunt subiecti Christo: nam adhuc multi infideles: multi DEO rebelles: multi, etiam fidelium, (vt notauit S. Greg: Naz. l. 4. de Theol.) suis affixi affectibus sunt in quibus non dominatur: nec glorificatur DEVS. *Cùm ergo omnes crediderint, & DEI fecerint voluntatem,* (ait S. Ambros. l. 5.

l. 5. de Fide, c. 5. *erit omnia & in omnibus Christus; cùm autem Christus fuerit omnia & in omnibus; erit omnia & in omnibus Deus: quia Pater semper manet in Filio. Multi etiam* (ait S. Hier. epist. ad Amandum.) *sunt; in quibus DEVS non est nunc omnia in omnibus, sed pars in singulis: multi increduli, Iudæi, Ethnici, Hæretici; in quibus Christus insubiectus esse dicitur: In fine verò mundi, cùm omnia membra regnantem viderint Christum, etiam ipsi subijcientur Christo: vt sit DEVS omnia in omnibus: non ait, vt sit Pater omnia, sed vt DEVS: quod nomen est TRINITATIS &c.*

Tunc (vt ait idem S. Paulus, Col. 4. v. 11.) *non erit gentilis, & Iudæus; circumcisio & præputium; Barbarus & Scytha; sed omnia in omnibus Christus.* vt vel ex hoc S. Scripturæ loco, possit agnosci; (vt agnoscunt SS. Ambros. & Hier.) ideo DEVM, in fine mundi, cùm Christus Ecclesiam militantem, debellatis hostibus, Victor præsentauerit Deo, futurum omnia in omnibus: quia tunc, nec Gentilis erit, nec Iudæus, &c. sed tota vnius Spiritus Ecclesia: & in omnibus, omnia factus Deus. Addo ex eodem S. Hier. quòd etsi omnes nunc habeant; quod in Deo Sanctè amare possint: non tamen omnibus omnia esse DEVM: eô quòd pleriq; suum amorem, quo feruntur in DEVM, cum creaturis partiantur: tum autem, omnibus omnia erit DEVS: & vnicus Amor. Ea explicatio mea, & S. Scripturæ verbis, & testimonijs SS. Patrum, præclarè illustratur: at ea, quam obtrudit D. V. nullum à se S. Scripturæ verbum: nullum SS. PP. testimonium, nullam rationem, sed solam arbitrariam Socini glossam habet.

Quærit insuper: an ea ipsa subiectione Christus nunc sit subiectus DEO: qua in fine mundi subiectus erit. Respondeo: eâ ipsâ: (ita enim DEVS erit caput Christi regentis Ecclesiam tryumphantem: vti nunc Caput est regentis Ecclesiam militantem:) eo solo discrimine; quòd nunc subiectus est in regimine Ecclesiæ militantis, in qua sunt nonnulla membra non subiecta: tum autem, & in se, & in omnibus membris, manebit subiectus. Vides mi Domine; quam nihil faciant, tua retia, ante oculos pennatorum? Glossa equidem tua, vel ideo reijcienda est: quia regnum Christi; quod tradet Deo & Patri, non ideo solùm subiectionem includit; quia à DEO acceptum est; & ex eius voluntate geritur; sed quia, in hoc regimine ita omnino Deus est Caput Christi; vt Christus Ecclesiæ.

21. Claudit hoc Caput D. V. calumnia: fol: 174. cùm à me dictum, fingit: squòd Christus post finem mundi, priuatus; & sine vllo mundi regimine futurus sit: quod quàm falsum sit; ostendi supra. Nunc vnum dico: nunquam aliud hensi: nunquam aliud scripsi: quàm Christum, etiã quâ hominem, nullum regni iabiturum finem: voces, *tradet regnum DEO*; ita explicaui: vt æternitatem mperij Christi clarissimè defenderim: non magnus, (vti cauillatur D. V.) sed

Minimus, studiosus tamen pro virili, æternitatis regni Christi assertor. At D. V. etsi plura, quàm Smalcius Christo post finem mundi, tribuat: de regno tamen obstinatè tacet. Age Domine: responde directè: estne Christus post finem mundi regnaturus, an non? totumne Patri regnum resignabit an sibi aliquam eius partem relinqnet? Super quos regnabit? Videbo an non hic te in absurdissimam Smalcij sententiam abire oportebit.

TRVTINA VINDICIARVM.
CAPITIS DECIMI QVARTI.

Vnde venturus est iudicare viuos & mortuos.

1. CAndorem Confessionis vbiq; desidero. quidni? an vlla putârim dona carere dolis Danaum? At hìc etiam veritatem desidero. Videri posse corpus spirituale D. V. ait, si, visionem spiritualem intelligit; vbi candor? legit: me locutum de visione sensitiua: corporea: oculari: quid ergo respondet, per visionem; de qua ego locutus nihil? si verò visionem, sensitiuam, corporeamuè intelligit; non solùm suis supracitatis Magistris, negantibus corpus spirituale, videri posse oculo corporeo; (vsque adeo, vt Smalc. in Mon: fol. 194. & l. de Filio fol. 98. Christum, à Paulo & Stephano, visum fuisse; spretis, disertissimis S. Scripturæ verbis, negauerit:) sed etiam rationi & veritati contradicit. Tam enim est impossibile; corpus spirituale, oculo corporeo, aspectabiliter videri, quam Deum: quem (vt omittam, id, loco citato fatentem, Smalcium) cùm à nemine videri posse disertissimè dixerit Apostolus; miror: quid D. Vindicis mentem, ita confuderit; vt DEVM videri posse visione corporea, (de eâ enim sermo) dicere sit ausus: contra disertissimum Apostoli oraculum: & contra lumen rationis: cui certissimum est: Subiecta immaterialia ita extra obiectum oculi esse, atq; sonum. S. Irenæum, quem citat, non esse de visione oculi locutum, versus, citata verba subsequens, conuincit: *Potens est in omnibus Deus: Visus quidem tunc per spiritum prophetiæ: Visus est autem & per Filium adoptiuè: videbitur & in regno cælorum paternaliter.* Quid hæc faciunt ad visionem oculi: quâ Christum iudicem videbunt, qui eum pupugerunt? Et tamen D. V. queritur sibi obijci imposturas: quibus rara, etiam Vindiciarum, charta caret.

2. Per regnum, 2. Tim: 4. v. 1. intelligi iudicium extremum, quo probat D. Vindex? Nostri interpretes, Salmeron, Cornel. Iustinian. Magalian. secuti

secuti SS. PP. Aug. Cyrillum, Gregorium, intelligunt cæleste regnum: cuius ianua, S. Gregorio teste, sit iudicium: in quo, Christus ad regnum suum, cum omnibus Sanctis, coram toto mundo quasi inaugurabitur: vel potiùs, Rex Regũ denunciabitur. Quæ verò est dubitandi ratio: Christum Mat: 19. de throno iudiciali Apostolis communicando locutum? quo probatur; verba illa, quibus Sanctos, homines & Angelos, iudicaturi dicuntur figurata esse? Estne Theologi, multa dicere: nihil probare? An etiam hîc sufficit illud; αὐτος ἔφα?

3. Si tota Sociniſtarum fides Confessioni est inclusa; (vt quidem eius Author existimari voluit:) etiam id explicari debuit: an credant Christum, post vltimum iudicium regnaturum: an verò regnare desiturum: reuera enim hoc, plurimum ad cognoscendam Christi Domini dignitatem facit. Cur igitur id omissum? cùm alibi multa, quæ à Symbolo Apostolico absunt, Confessioni inserta legantur? cur non explicatum hîc; quomodo Christus, tradito regno, id est, in sensu Sociniſtarum, depositò; Deus esse, & Rex, non sit desiturus.

4. Non solùm insulsum, sed absurdissimum est; dicere: *nos post finem mundi, Deos factum iri.* Nunquid D. V. Polytheismum, terris à Sociniſtis inuectum, etiam cælis conatur inuehere? Atqui tam in cælo quam in terris, vnum solum verum Deum esse, & æternum fore, disertissimè, S Scriptura, docet.

5. Meam collectionem, insulsè D. V. vocat insulsam. Nam ne verbulo quidem suam Confessionem, ab obiecto ei temporali DEO, vindicat: alteram autem obiectionis partem, dum expugnare nititur; suos Magistros oppugnat. Nouit optimè; à Socino, Smalcioq; doceri: Diuinitatem Christi in eo potissimũ consistere: quòd nos saluare posit: & saluaturus sit: atq; ad id, omnem eius potestatem, seu Diuinitatem contrahi: Cùm ergo post finem mundi, neminem amplius saluare; cùm nemini, vt disertissimè docet Smalcius, benefacere sit valiturus; quæ ei supererit Diuinitas? Catholici credimus: quòd DEVS, vti nunc Angelos; ita & beatos cælites æternùm conseruabit: quòdq; ille etiam status, egeat influxu DEI, conseruatiuo saluatorum: alioqui, in nihilum abiturorum; si vel ad momentum, hoc influxu destituerentur. Satis ergo insulsa est D. Vindicis impugnatio.

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS DECIMI QVINTI.

Credo in SPIRITVM Sanctum.

1. VIgilans, Sociniſticas detego impostura: & vbique, sublata voce proclamo:

clamo: falsissimum esse: Sociniſtas, nihil aliud credere, quàm quod Symbolo Apoſtolico inſertum eſt: immò etiam, quàm quod in Confeſſione legitur: vbique proteſtor, hanc Confeſſionem, aliud habere in titulo: aliud in pyxide: veriſſimè dici poſſe: hanc Confeſſionem, eſſe hæreſeos ſagenam: quæ Symboli Apoſtolici verba alarum inſtar habeat: quas dum extendit; quoſcunq; Chriſti piſces apprehendit, in naſſam Sociniſticarum blaſphemiarum, deijcit.

2. En & hîc grauis impoſtura eſt: dum Errores de SPIRITV S. per libros Sociniſtarum ſparſi, aſtutè ſupprimuntur. Sed mox extrahentur in lucem.

3. Docent illi paſſim: *Spiritum S. nec eſſe DEVM: nec eſſe Perſonam,* Cur igitur hoc Domine V. ſubticuiſti? an hoc ad Fidem non pertinet? ſi Symboli Apoſtolici fidem profiteris; ſi id ſolùm credis, & dicis, quod Apoſtoli docuere; Vbi, & à quo Apoſtolo didiciſti, quòd in Polonicam locorum S. Scripturæ expoſitionem conieciſti; dicens: *SPIRITVM SANCTVM, nec eſſe DEVM: neque Perſonam: neque inuocandum?* Cur in eodem libro, huius tuæ ſententiæ, Authorem Apoſtolum, non produxiſti? Nimirum id agitur: vt homines perſuaſi; nihil à Sociniſtis credi, niſi quod Symbolo Apoſtolico continetur; in hæreſes abripiantur ſuppreſſas: & captis iam piſcibus ingerendas.

4. SPIRITVM SANCTVM eſſe vnum; quomodo is verè & ſyncerè dicere credi poteſt: qui eum, non aliud eſſe cenſet; quam quendam Sanctum afflatum? Nunquid is afflatus, non toties multiplicatur; quot, & quoties hominibus afflatur? Num SPIRITVS S. multiplicitatem, Smalcius & Bebelnius, non ſunt diſertiſſimè profeſſi? *Particularia* (dices) *horum fuere dogmata.* Siſto ergo Cat. Rak. qui fol. 243. docet: *SPIRITVM S. alium eſſe, ſemper permanentem: alium ad certum tempus: viſibilem alterum, alterum inuiſibilem: perque eum; nunc Euangelium, nunc ſpem vitæ æternæ, nunc alia intelligi.* Veriſſimè ergo dixi: negari à Sociniſtis SPIRITVM S. eſſe vnum. Legat, qui vult, Smalc. l. de Diuin. c. 18. & l. de Filio fol: 40. vbi ait: *S. SPIRITVM datum Apoſtolis differre ab eo; qui eſt pignus hæreditatis noſtræ:* & fol: 39. vbi negat: *omnem DEI SPIRITVM, eundem eſſe: & quòd SPIRITVS S. datus S. Ioanni Baptiſtæ in vtero, alterius generis fuerit à noſtro:* & fol: 9. vbi negat: *SPIRITVM S. eſſe datorem munerum: & aſſerit non eundem Spiritum omnibus dari.* Vel breuiùs legat Morskouium fol: 272. & ſeqq. vbi adducit verba Smalcij, diſertè diſtinguentis Spiritum DEI, à Spiritu S. & profitentis, fol: 273. *Spiritum DEI non eſſe vnum.* Nunc autem addo: falsò dici: SPIRITVM S. non aliud eſſe, quàm internum Sanctum afflatum: Num enim, ex afflatu Chriſtus conceptus eſt? afflatu ab infantia corroborabatur? afflatus in ſpecie columbæ apparuit? in afflatu hoc eijciebantur dæmonia? in nomine afflatus iubemur baptizari? Quis tales nænias, ſine ſtomacho, audiat? nedũ, vt aliquis veterũ, talia de SPIRITV S. ſomnia cõceperit? 5. Quid

5. Quid Sociniſtis, ſit SPIRITVS SANCTVS; non eſt curandum Chriſtianis. Certè cum nihil aliud, quàm quendam afflatum eſſe; non Symboli Apoſtolici, nec S. Scripturæ, ſed quorundam enthuſiaſtarum dogma eſt. Chriſtianæ de SPIRITV S. fidei, Symbolum Apoſtolicum nullatenus contradicit. Diſtinguit Symbolum, Filium, & Spiritum S. à DEO Patre: ſed non ſimpliciter à Deo: eo ipſo innuens, æquè Filium & Spiritum S. eſſe DEVM, atq; ſit Pater: cùm æquè in Filium, & Spiritum S. credendum eſſe docet; atq; in Patrem. Quod ego, vocibus DEI Patris Omnipotentis Spiritum S. ſignificatum putem, aut falſum: aut, (ſi D. V. mea ſcripta legit) calumnia eſt. Agit Symbolum de DEO: quem dicit eſſe, Patrem, Filium, & Spiritum S. (nec enim aliud dicere potuere Apoſtoli, quàm quod didicere à Chriſto: à quo audiere: *Ite &c. baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*) at Filium DEI & Spiritum DEI non diſtinguit ab ipſo DEO, vt DEVS eſt: ſed vt DEVS PATER: vt omnium SS. Patrum, & Doctorum teſtimonia conuincunt.

6. Si S. Scriptura, de S. SPIRITV loquitur, vt de Perſona; quare ergo D. V. in Proœmio Confeſſionis, & in ipſa Confeſſione, & alibi negat eum eſſe Perſonã? Cur non refutauit ea, quibus in Refutatione eius Expoſitionis locorum S. Scripturæ, probaui SPIRITVM SANCTVM veram, tamq; propriam, quàm eſt PATER & FILIVS, eſſe Perſonam? cur non reſpondit ad ſibi obiectos ibidem errores?

7. Blaſphemia SPIRITVS SANCTI nulla eſt: immò, eam aſſerere; ſinè vlla explicatione; blaſphemiæ proximum videtur: Blaſphemiam verò in SPIRITVM SANCTVM, eſſe peccatum irremiſſibile; diſertè docet S. Marcus: 3. v. 29. quam S. Scripturæ phraſim, neſcio, quâ ratione, D. V. negauit. Si textũ vulgatæ inſuper (vti ſolet) habuit; ſaltem è textu Græco; diſcere id potuiſſet: ſi voluiſſet. Dicitur ibi: ὃς δ' ἂν, βλασφημήσῃ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα &c.

8. DEI FILIVS, æquè ac SPIRITVS S. ab Apoſtolis vocatur virtus DEI: quem tamen eſſe ipſum DEVM; Apoſtolica capit Theologia. Et verò, ſi ea virtus, non eſt DEVS, quomodo, quod per eius virtutis obumbrationem natum eſt; DEVS eſt? Piſcatoria Theologia, an vnquam fuerit, non legi: legi Apoſtolos, retibus & piſcibus relictis, Theologiæ Sacræ, ſub Summo Præceptore Chriſto IESV ſtuduiſſe.

9. Chriſti & SPIRITVS S. comparandi neceſſitatem, faciunt Sociniſtæ: qui eum, veteres Macedonianos & Eunomianos ſecuti, Chriſto dicunt inferiorem: quos ſufficientiſſimè refutauit S. Baſilius: vt ex eius libris patet.

10. Vnº omnino SPIR: S. eſt Catholicis omnibº: at nõ, Smalc: Bebelnio: Catechiſtæ Rak: & alijs. Eos refutet, D. V. ſi vult: vt credamus: cũ verè & ſyncerè credere SPIRITVM S. eſſe vnũ.

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS DECIMI SEXTI.

Sanctam Ecclesiam Catholicam.

1. NOn machinis, sed dolis, animas fidelium, peti à vobis queror: quorum, etiam hîc Confessionem comperi manifestam. Quot illa, titulis, è Sacro Codice desumptis, Ecclesiam Christi ornat! quos tamen eadem Confessio, illi ipsi, reipsa eripit. Ciuitas, illa; in S. Scriptura dicîtur: quæ fundata sit in æternum: at in Confessione dicitur, mille & ampliùs annis ita euersa; vt ne vestigium quidem reliquerit sui: id enim significat, Vniuersalis apostasia. Portæ inferi contra eam non præualituræ dicebantur: at ecce à D. Vindice dicitur: ea ipsa Ecclesia ex Orci claustris per Christum olim educenda. Quomodo verò portæ inferi non præualuêre Ecclesiæ; si eam nunc Orci claustra detinent; non nisi post finem mundi inde educendam? Veritatis ea columen & firmamentum ab Apostolo dicitur: at à Domino Vindice dicitur hæresibus succubuisse. Spiritus S. cum ea dicebatur æternùm mansurus: at D. V. asserit, eam ab eo desertã: & æternitatem eius ad vnius centenarij angustias contractam: eô miserabiliore conditione: quòd Iudæorum incredulitas, fidem DEI euacuare: seu (vt interpretatur Cornel.) irritam reddere non potuerit: Rom: 3. v. 32. quam tamen, iuxta Sociniſtas, incredulitas Christianorum euacuauerit: quasi DEVS, non fuerit potens facere quæ promisit: si eius potentiæ, & efficaciæ humana se aliqua potestas opponeret: & quasi, si nos non crediderimus; fidelis ille non permaneat: & negare seipsum possit: contra disertissimum Apostoli oraculum. 2. Tim: 2. v. 13. vbi præclarè Primasius ait: *Siue credimus*, (inquit) *siue non credimus, veritas non mutatur: sed si credimus, nobis præstamus. Nam ille, non poterit aliud singulis exhibere; quàm quod promisit: quia veritas non mentitur: nec enim euacuat promissum suum: etsi non omnes crediderint: vt ad Rom.* dicit: *Nunquid illorum infidelitas fidem DEI euacuauit? Nam ille fidelis permanet.*

Hæc expendere debuit D. V. priusquam contra Ecclesiam Christi, capitalem diceret sententiam: sponsamq; Christi, adulterij per mille & ampliùs annos continuati; columnam veritatis, per totidem annos, frequentati mendacij; Filiæque DEI, initi cum Belliał commercij damnaret: tamq; ei diuturnum cum SPIRITV SANCTO designaret diuortium.

2. Nunquam Apostoli prædixere (quidquid dicat D. V.) Ecclesiam Christi, vni-

sti, vniuersaliter corruptum iri. Quæ S. Paulus prædixit Act. 20. v. 30. impleta sunt eo superstite: per Himenæum, Alexandrum, Phigellum, Hermogenẽ. 1. Tim. 1. v. 20. & secundæ ad Tim. 1. v. 15., & 2. v. 17. Succesſêre his Simoniani, Marcionistæ, Encratitæ: 1. Tim. 4. (teste S. Chrysost. & S. Ambrosio) ab Apostolo descripti. Horum faces in excidium Ecclesiæ DEI accensas, excepere: Ebionitæ: Cheryntiani: Theodotiani, Arthemonistæ, Samosathanistæ: qui Christo, Diuinam naturam negauerunt: quos, in hoc, vt in alijs hæresibus, recensitos hæresiarchas sequuntur Sociniſtæ: vt in Harmonia demonstraui. Horum Hæreticorum, præsertim Montanistarum, qui speciẽ pietatis induti, plurimos decipiebant; corruptelas; respexit Hegesippus, à D. Vindice citatus: vt colligitur ex SS. PP. Irenæo, Iustino, Philastrio, Epiphanio, Tertulliano: vt eũ immeritò, D.V. Eusebium Arrianum secutus; contra puritatem Ecclesiæ primitiuæ, alleget. Semper Sponsa Christi, cætus sui potiore parte, fuit purissima: neq; vnquam, apostatarum frequentia, & splendor, eô vsq; inualuit; vt non illa, (vt loquitur S. Augustinus) in suis Capitibus emineret: & tanquam inuictum lilium, inter spinas, magis, magisque efflorescceret. Synagoga ipsa, nunquam ita defecit; vt non, eo etiam tempore, quo se Helias, solum DEI cultorem arbitraretur, inuenirentur decem millia hominum, quæ non flexerunt genua sua, ante Baal: quomodo ergo potest credi, Christo, Sponsam proprio sanguine acquisitam; tam exili fuisse curæ: vt illa, multò quàm Synagoga celeriùs, ad internecionem, ne quidem decem millibus relictis, deleta fuerit? Potest aliquis credere sponsalitiam huic sponsæ dotem: promissaq; eidem à DEO sponso facta, peruicaciâ hominum esse euacuata? vbi verò legisti D. V. amplissimas illas huius ciuitatis prærogatiuas, quòd *fundata sit in æternum*; quòd *Spiritus S. sit cũ ea mansurus in æternum*; quòd *ab eius ore, seminisq; eius, verba Iehouæ non essent recessura in æternum*; his, quas præfectibis, subiectas esse exceptionibus? An &, in re tanti momenti suffecit; αὐτὸς ἔφα?

3. Non eripit, scio, Deus arbitrij libertatem: atq, hoc facit, vt Ecclesiæ Matri, nunquam defuerint viperæ, quæ eius viscera arroserint: nunquam defuerint apostatæ, qui ab ea defecerint: nunquam defuerint hæretici, qui huius sponsæ puritatem impugnare fuerint conati: at tamen, vti DEVS salua arbitrij libertate, etiam temporibus Eliæ, etiam temporibus Macchabæorum, etiam illo ipso tempore, quo est occisus Christus, potuit plurimos, suæ Gratiæ Efficacis auxilio, in sui cognitione & amore conseruare: ita negari nequit; etiam inualescentibus quantisquantis hæresibus, potuisse DEVM, suo efficaci subsidio, in sui cognitione, & amore, potissimam Ecclesiæ Christianæ partem conseruare:

vti de facto semper conseruatam, Historia Ecclesiastica testatur. Nihil ergo habet D. V. quòd Sponsam Christi, calumnietur: tanquam millenariam adulteram: veritatis inimicam: Spiritus Sancti contristatiuam. Semper illa, contra eos, qui sanguinem veritatemq; eius adulterare conati sunt, SPIRITV SANCTO adiuuante animosissimè dimicauit: deq; eis, eiusdem auxilio, felicissimè, tandem tandem superatis, tryumphauit. Et verò si illa vnquam posset succumbere hæresibus, (vti asserit D. V.) nec columen veritatis, nec Sponsa Christi sponsata in fide, nec Sancta, dici posset. Quod enim D. V. dicit, Sanctam ideo dici; quòd possit non succumbere hæresibus, nec debeat: hoc sanè ridiculum est. Quæ enim Congregatio, quantumcunq; facinorosa, est; cui hæ prærogatiuæ non fuerint communes? Etiam cætus Marcionistarum, Ebionitarum, Adamitarum, &c. &c. potuere non succumbere hæresibus: (alioqui si eis non possent uon succumbere, reprehensibiles non essent, quòd succubuerint:) Num ergo etiam eos D. V. dicet esse Sanctos?

4. Aliud Catholicis omnibus Sanctitas Ecclesiæ significauit. illud nimirũ: quòd quantumcunq; increbrescentibus hæresibus, Sancti SPIRITVS præsidio fulta, in parte sui potiore, Apostolicam retineat doctrinam: eamq; toto orbe, non obstantibus quibuscunq; persecutionum procellis propagare enitatur: semperq; habeat: qui eam, morum Sanctimoniâ, virtutumque, & signorum frequẽtiâ, toti orbi, exhibeant admirandam.

5. Fidei Sociniſticæ Analogia, non ex truncatis Scriptorum verbis: sed ex ipsorum Sociniſtarum Confessione, pluribus libris explicata, petenda est: quæ quantùm Symbolo Apostolico, & S. Scripturæ aduersetur; non tantùm in Refutatione Confessionis; sed multò expressiùs, in libris Vernaculo idiomate editis, demonstraui. Illud hîc vnicum dico: falsissimè dici: Confessionem Sociniſticam nullam esse aliam, quàm Symbolum Apostolicum: & S. Scripturam. Symbolum Apostolicum, docet: æquè esse credendum in Deum Filium, & Spiritum S. atq; in DEVM Patrem: Confessio Sociniſtica negat. Idem Symbolũ docet: Christum descendisse ad inferos: descensum hunc distinguendo à morte, & sepultura: Confessio hunc descensum, à statu mortuorum, sufficientissimè per mortem & sepulturam explicato, non distinguit: Christumq; realiter, ad subterranea inferorum loca descendisse, negat. Idem Symbolum; æquè esse Personam Spiritum S. atq; Patrem, & Filium, significat: cùm æquè, in omnes tres, credendum esse docet: Confessio negat. Idem Symbolum disertissimè, carnis Resurrectionem docuit: quam Confessio negat: & verba Apostolica, esse sobriè accipienda, docet. Iam verò quanti in subdolâ Confessione, fucum Symboli Apostolici indutâ, fidei Sociniſticæ, suppressi errores! quorum neque,

in Sym.

in Symbolo Apostolico, nèq; in S. Scripturâ, vllum supèrest vestigium. In quo Symboli Apostolici articulo; in quo S. Scripturæ Codice legit D. V. Verbum Deum, antequam caro fieret; & ex Virgine nasceretur; penitus non fuisse? per Verbum Deum, non aliud quàm Diuinæ voluntatis interpretem intelligendum esse? non mundum hunc in quem venit, in quo erat, ab eo esse conditum, sed nescio quem alium? eum iacentem in præsepio, nec DEVM, nec Dominum, nec Christum fuisse? eum non fuisse æqualem DEO PATRI? non habuisse aliam naturam, quàm humanam? nec Personam fuisse Diuinam, sed humanam? &c. Idem de alijs fidei articulis si quærerem: vti in libro 30. Rationum quæsiui; nunquam, in Symbolo Apostolico, nunquam in S. Scriptura, reperire possent; vbi ea, quæ sequantur, dogmata, docerentur. Repeto ergo: falsissimè dici: Sociniſtarum Confessionem, nullam aliam, quàm Symbolum Apostolicum, & S. Scripturam esse.

6. Catholicum esse id: quod toto orbe creditur: docuere SS PP. Cyprianus, Tertullian. Optatus, Augustinus, &c. atq; ideo, cum Sociniſtarum fides, non nisi in angulis Poloniæ & Hungariæ hæreat: & ab eâ, quæ in vniuerso mũdo annunciatur, Rom: 1. v. 8. toto cælo distet; Catholica dici, nec potest: nec debet: sed (vti olim, Donatiſtarum secta vocabatur) Angularium Sectariorum cætus.

7. Conciliorum authoritatem, sufficientissimè per Bellarminum, Turrianum, Valentiam, Suarium, alioſq; Theologos defensam, tueri me, non est operæ. Actum agerem. Verbo dico. Nisi hæreses, fidem ab Apostolis prædicatã, & toto orbe feliciſſimè succrescentem, impugnassent; non fuisset Concilijs opus: at cùm eæ, dogmata Apostolica subuertere, totis viribus conarentur; furori eorum, nullum poterat efficacius opponi repagulum: quàm Sanctorum Patrũ, & Doctorum, è toto orbe in Spiritu Sancto collectorum, vniuersale decretum.

8. Sacrosanctum Nicænum Concilium, plenum Sanctis Patribus, Martyribusque Thaumaturgis, nullas turbas dedit: sed dedêre vestri proaui, Arriani: qui Fidei Nicenæ aut apertè subscribere refragari; aut subscriptionem ementiti, ad eam expugnandam, multis locis, Synodos, vel potiùs Conciliabula cogebãt: meritò à S. Hilario exposa: in quibus, non tam cum Catholicis, quàm secum, postquam, hæresis Arriana, tanquam Hydra, in plura excreuisset Capita; certabant: qui perennis est mos hæreticis: vt è Conciliabulis ipsorummet Sociniſtarum, Racouiensium, & Lituanorum manifestissimum est. Sic fieri necesse est: vt ibi nulla maneat concordia: vbi quot capita, tot sensus: sine vlla dependentia, ab vno visibili Ecclesiæ Pastore: Fideiq; Controuersiarum Iudice. Sic fieri necesse est: vbi, spretis Apostolicis traditionibus, & communi totius Ecclesiæ

assensu, vnicuiq; S. Scripturam interpretari licet, prout libet. Sic fieri necesse est: pergentibus, vltra tramitem ab Apostolis monstratum: & à primis Christianis calcatum, & tritum: à SS. Clemente Romano, Ignatio, Dionysio, Irenæo, Iustino, alijsq; Primitiuæ Ecclesiæ Scriptoribus, descriptum: & ad nostra tempora, singulari DEI Prouidentia, non tantùm Verbum DEI scriptum, sed etiam, per Sermonem ab Apostolis acceptum, conseruante; transmissum;

9. Ariminensi Concilio, fidem Nicænam fuisse damnatam, falsum admodum est. Nam dum legitimè perageretur, Vrsatium & Valentem, fidei Nicenæ hostes, cordatissimè damnauit. Postea verò, etsi tyrannide Præfectorum militarium Constantij Imperatoris Arriani; pressi Patres, doloq; Arrianis familiari, circumuenti; homousij nomine abstinuerint; rati, illud, Confessioni quæ ab Vrsatio offerebatur, includi: nunquam tamen fidem Nicænam deseruerunt: immò eius causa plurima ab Arrianis, eorumq; Imperatore, passi sunt: vt patet ex Socrate: Sozomeno: Theodoreto: quibus hac in parte, tutiùs habetur fides; quàm Eusebio Cæsarienſi Arriano: qui in suæ hæresis patrocinium, multa mendacia scriptæ à se Historiæ admiscuit: vt euidenter demonstrat Card: Baronius.

10. Vallam mihi obijci miror. Aut enim D. V. censet hoc verum esse: quod ego eum dixisse, & ex eo, Moschorouium descripsisse, in mei libelli Proœmio dixexam; aut falsum. Si verum: Ergo Symbolum Apostolicum, cuius is sucum suæ Confessioni induxit, non est Apostolicum: & vana est gloriatio eius: si illius Synodi sequitur Symbolum: à qua, vniuersalem Ecclesiæ apostasiam esse ortam, docent Sociniſtæ. Si falsum hoc existimat; quorsum allegat? Non capio reuera: cuius sit iudicij & prudentiæ; contemnere, SS. Athanasij, Basilij, Hilarij, Gregoriorũ, Cyrilli, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, aliorumque Patrum, Nicænæ Synodo propiorum authoritatem: & vnius Vallæ stipulam, in suæ Confessionis murum, erigere. Nimirum qui eiusmodi sunt, vt mendacio credere magis quàm veritati velint; naufragotum instar, herbas litoribus innascentes, procliui arripiunt manu: quibus auulsis mergantur profundiùs.

11. Symbolum Nicæni Concilij, est in manibus omnium: tot SS. Patrum, tot Scriptorum calamis promulgatum: vt, qui ei aliud obtrudere audeat; causa nulla sit; quin postea dicat, albedinem esse nigram: & lucem tenebras. Authoritatem eius, D. V. deprimit: at ei agnoscendæ, sufficit testimonium Constantini Magni Imperatoris: qui Epistola ad Alexandrinos, descriptâ à Socrate, l. 1. c. 6. ita scribit: *Cùm ampliùs trecenti Episcopi, viri ob animi modestiam & sollertiam admirandi, vnam eandemq; fidem, (quæ veritate, & exquisitis legis Diuinæ testimonijs vera fides esse confirmatur) constabilissent: solus Arrius inuentus est: qui vi & fraude diabolica victus, ab eâ penitus desciuerit, &c. Quocirca eam, quam Omnipotens Pater*

tradidit

tradidit nobis doctrinam amplexemur: ad fratres nostros, à quibus nequam diaboli Ministeri, nos segregauit; redeamus, &c. Nam quod trecentis Episcopis visum est; non est aliud putandum, quam DEI sententia: præsertim cùm in tot, tamq; præclarorum virorum mentibus, Sacer insideret SPIRITVS: qui eis Diuinam voluntatem aperuerit, &c.

11. Ab hoc Concilio, traditum esse: quòd Verbum, sit Summus & Altissimus DEVS; patet primò: ex responso, à SS. PP. cuidam Philosopho dato, per Leontium Episcopum: *Non alium tibi Deum, atq; alium protulimus: sicut impius Arrius blasphemauit: Vnum Deum increatum, & alterum creatum pronuncians: & Spiritum S. similiter creatum prædicans. Absit: vnam Diuinitatem; cogitari, & credi asseruimus: vnam substantiam, & dominationem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: scire autem; S. TRINITATIS hypostases, non esse disiunctas, vel locales: sed sola fide vnam Diuinitatem, cogitari: & credi: Sanctæ, & consubstantialis, & adorandæ TRINITATIS, &c.* Tandem idem Episcopus, postquam verba illa Baruch, *Hic DEVS noster & non reputabitur alius aduersus eum; Posthæc in terra visus est &c.* assentiente Philosopho, de Filio DEI esse intelligenda probasset; ita concludit: *Si ergo iuxta impiam Arrij prauitatem alia quædam est Substantia Filij creata, vt sit DEVS Patre posterior; ait autem de ipso Scriptura: Hic Deus Noster, & non reputabitur alius aduersus eum: Pater non erit DEVS, secundum Arrij impietatem: siquidem de Filio ait: Non reputabitur alius aduersus eum. Et ita conuincuntur impij Arriomanitæ, cum suæ blasphemiæ authore, præter Filij abnegationem, ipsum quoq; Patrem à Diuinitate repellere: & athei prorsus esse deprehenduntur:* Et infra: *Agnosce* (Philosophe) *Sanctæ TRINITATIS vnam esse Diuinitatem semper existentem & subsistentem: Trinitatem verè Trinitatem: & nihil in ea fuisse prius aliquando: sed semper & eodem modo existentem indiuiduam, & Consubstantialem TRINITATEM.* Hæc si non legit, D. V. qua temeritate Concilio Nicæno, à se non lecto, contrariam omnino fidem affingere ausus est? si autem legit; qua fide, quâ fronte, negare ausus est; Nicænum Concilium agnouisse; Verbum Deũ, esse Altissimum DEVM, eius ipsissimæ Diuinitatis, cuius Pater est: quâ Conscientiâ dicere ausus est: Nicænum Concilium negare non potuisse; Verbum esse Deum, à Patre dependentem, Patriq; subordinatum? Vbi quæso hoc in Concilio Nicæno legit? Profitetur illud vbique: vnam esse Trium Personarũ Diuinitatem: vnam Substantiam: ita vt inter eas nihil fuerit prius aliquando. Vbi ergo, Verbum, esse DEVM dependentem docuit? In Prima statim Sententia, Osius, huius Concilij præses, dogma hoc negauit. *Filius* (inquit) *est Deus: non pars, sed perfectus, sicut & Pater: eiusdem essentiæ; cuius, & qui eum ineffabili modo genuit Pater. Sicut Pater & Filius, simul subsistit Spiritus Sanctus: eiusdem essentiæ & potestatis: cuius Pater & Filius. Hoc fidei verum dogma confitemur: nobis*

ab initio

ab initio traditum, à Domino: per Sanctos eius Apostolos: & à Sanctis eius Apostolis, & à Sanctis antiquis nostris Patribus: qui Apostolorum Sanctam fidem illibatam conseruauerunt. Audeat D. V. tanto illi Episcopo, fidem Apostolicæ doctrinæ contrariam, obijcere: nemini certè, præter suos Pythagoricos persuadebit: se fide digniorem, dogmatumq; Apostolicorum esse peritiorem; quàm fuerit Osius: alijq; Nicæni Patres: qui etiam singulari prudentiâ, fraudibus Arrianorum, opportuna prouidêre remedia. Nam cùm Eusebius Nicomedienſis, (planè nostris Sociniſtis præludens) diceret: se concedere, Christum, esse Deum de DEO: sed intelligeret: ita eum esse de DEO: vt reliqua omnia; Synodus censuit, ea verba, Symbolo inferenda esse: *Filium DEI, genitum ex Patre: hoc est de Substãtia Patris:* rursus cùm Arriani dicerent; eum esse ex nihilo creatum: adiecit Synodus ea verba: *genitum: non factum:* & cùm dicerent eum non esse verum Deum sed creaturam: adiectum est: *Deum verum, de Deo vero:* deniq; ne per hæc verba significari dependentiã vel subordinationem aliquis putaret; adiecit S. Synodus, vocem illam, *ὁμοούσιον Patri:* (cum hac adiecta explicatione) *id est: eiusdem cum Patre Substantiæ.* Hæc ideo prolixius retuli: vt agnoscat æquus Lector: quantùm à veritate exceedat; D. V. quoties Catholicos Scriprores pro sua sententia trahit. Nemo certè vnquam, etiam Arrianorum, (quod sciam) per hæc verba, Deum de DEO, dependentiam vel subordinationem significari, docuit. Nemini vnquã dubiũ fuit: per ea, solam Filij exprimi à Patre originẽ.

12. Loca S. Scripturæ, quæ D. V. adducit; loquuntur de Filio DEI, Formã serui induto: & in similitudinem hominum facto: vt probaui; in Refutatione Polonica, Expositionis locorum S. Scripturæ, à D. Iona editæ. Quæ eis, de DEO temporali, & Redemptore Metaphorico obieci; satis, supra probaui.

13. SPIRITVM S. esse propriè subsistentem Personam; atq; adeo ipsum Altissimum Deum; docuere: & probauere in eodem Nicæno Concilio, Philosopho cuidam; Episcopi, Protogenes & Leontius: primò ex locis Sacræ Scripturæ: quibus S. Spiritui, tribuitur creatio hominis, & omnis creaturæ. 2. quia S. Petrus dixit Ananiam mentiri DEO: quem ibidem nominat Spiritum Sanctum. 3. quia replet orbem terrarum. 4. quia distributorem gratiarum, qui Spiritus S. est, Apostolus vocat Deum. 5. quia ipse Christus, Ioann: 5. vocat eum DEVM. atq; ita denique concludunt. Si ergo Spiritus est Deus; omnino & Deus erit Spiritus: non autem alius, atq; alius: sed vna Diuinitas vtriusq; Personæ: iuxta hypostasium considerationem. Hæc illi. An Petauius alicubi docuerit, diu in Ecclesijs ignoratum esse; Spiritum S. esse propriè dictam Personam; & ipsum esse DEVM; videbo, cum eum nactus fuero: vt nunc suspendam fidem; sufficiens ratio est: quôd D. V. nec librum, nec caput, nec folium citet.

14. Atha-

14. Athanasiana fides, eadem est: quæ Nicæna. Nec enim ille aliam defendit: horribiles, ab Arrianis persecutiones, per annos quadraginta passus: Sed de omnibus his liberauit eum Dominus.

15. Sociniſtas nihil aliud credere; quàm quod S. Scriptura, vel Symbolum docet; quàm falsum sit: ex libello, quo Confessionis imposturas detexi; & ex hoc ipso libro; ac inprimis ex libro Triginta Rationum, propter quas Socinismus, vel Arrianismus, odio haberi debeat; manifestum est: horum fidei, totũ Christianorum orbem contradicere; neq; eis, alios, quàm Mahomethanos & Iudæos, in dogmatibus de DEO, consonare; in eodem Triginta Rationum libro, & in hoc ipso demonstraui. Eandem eorum fidem; iuxta, ac Ecclesiam, nõ esse Catholicam, inde patet: quòd mille & amplius annis, nullum toto orbe angulum habuerit: & nunc, nec ciuitas supra montem posita; nec regnum toto orbe diffusum sit; sed angellus lucifugus; vel Sacrorum opertaneorum spelæum.

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS DECIMI SEPTIMI.

Sanctorum Communionem.

1. ECclesiam tryumphantem, iam nunc in cælis esse; satis probant, verba Apostoli à me adducta. Hierusalem enim cælestis, teste S. Chrysostomo, Primasio, Theodoreto; Oecumenio, Theophilacto, & Recentioribus interpretibus, significat hoc loco, cælestem ciuitatem, constantem ex Angelis, & Spiritibus iustorum hominum: quorum primogeniti sint Apostoli. quod Noster Cornelius probat ex eo: quia Angeli, & Spiritus perfectorum iustorum sunt in Ecclesia tryumphante; non militante: patet enim, ex Apostolico verborũ contextu, sermonem hîc esse de ea ciuitate: in qua iam cum beatis Angelis, beatæ perfectorum iustorum mentes; cælestibus gaudijs perfruantur: quidquid neget D. V. malè persuasus: iustorum hominum mentes; nullam habere, prærogatiuam, supra animas hominum impiorum: cùm tam hæ, quàm illæ, vtpote naturâ sua immortales; supersint. Magna scilicet felicitas, in eorum spirituum venire numerum; qui tanquam saxa, vel stipites, nullas habeant vitæ operationes!

2. Huic ipsi Ecclesiæ, includi, Angelorum panegyrim, disertissimè cùm testetur Apostolus; nescio, quomodo negare id potuerit D. V. Certè si Ierusalem cælestis, Ecclesia est; (quemadmodum ipsemet D. V. & hîc, & in Cõmentario Epistolæ ad Hebr. fatetur!) quomodo a' .a, trequentia Angelorum

exultantium, (ita S. Auguſt. panegyrim circumloquitur ;) excludi poteſt ?

8. Verba illa, quæ in vulgato textu leguntur ; (verſioni & interpretationi D. Vindicis ; etiam Racouienſis verſio repugnat ;) *ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam.* Eph. 1. v. 22. non de omni ſingulari Eccleſia ; (vti vult D. V.) ſed de Eccleſia militante & tryumphante intelligenda eſſe ; docuit S. Auguſtinus, in Enchiridio : quem fere ſequuntur (teſte Iuſtiniano, & Cornelio) Theologi : docentes : ex Angelis & hominibus, vnam componi Eccleſiam : vt proinde Chriſtus tam verè ſit Caput & ſponſus Eccleſiæ, reſpectu Angelorum, quàm hominum : ſiquidem Eccleſia, ſit veluti vna Reſpublica, ex Angelis & hominibus, ſub vno capite Chriſto conſtituta. Magnam verò gratiam deberem D. Vindici : ſi hîc ſuam mentem aperuiſſet in hoc ; cenſeatnè, duos eſſe maritos Eccleſiæ, nempe Deum Patrem & Chriſtum : (ita diſertè docet Socin. epiſtola 8. ad Smalcium :) eſſet profectò, quod trutinarerur.

4. Partitio Miniſteriorum Eccleſiæ ; ad hunc Articulum, refertur à Catechiſtis : vt ſciretur : eiuſdem Corporis, quod eſt Eccleſia ; diuerſa eſſe membra : vti explicauit Apoſtolus 1. Cor: 12. v. 12. & ſeqq. Epheſ: 4. v. 6. In horum mẽbrorum deſcriptione, dum recenſuit Apoſtolus Paſtores, & Doctores ; etiam Summum, omnium ouium Chriſti, Paſtorem, & Doctorem incluſit : nec enim oportuit, ſingulorum præeminentias recenſeri : ex vſu ipſo, ab Apoſtolis accepto, ſatis cognitas. Diſtinctiùs ea Miniſteria deſcripſere Apoſtolorum diſcipuli : S. Clemens : S. Dionyſius : S. Ignatius : S. Polycarpus, & eorum diſcipuli. Cleri nomine ; etſi alibi poſſit intelligi, omnis Chriſtianus populus : non tamen, 1. Petri. 5. v. 3. ibi enim, (teſte Noſtro Lorino, Theologo infinitæ lectionis, ſummæq, eruditionis ;) omnes antiquiores Enarratores, anguſtiorem clerorum acceptionem, (quæ ſæpiſſimè legitur in Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolorum ; à S. Clemente editis) agnoſcunt : & maioribus Paſtoribus præcipi, docent : vt ſe modeſtè, cum minoribus gerant. Et verò procliuius erat, inferiores Eccleſiæ Miniſtros, malè tractari, à Prælatis, quàm Laicos : ideoq ; eos hortatur S. Petrus, ad moderationem erga illos : eſtq ; probabile eum alluſiſſe, ad verba ; Num 18. v. 20. Deut: 14. v. 2. dicta ad Leuitas Veteris Teſtamenti. Ideo Paulus Samoſathenus olim culpatus eſt : quòd in Epiſcopatu, ſecularium gradus affectaret : in eiſq ; dominari ſatageret : & populum expilaret : teſte Euſebio l. 7. c. 26.

Cæterùm illi, qui Clericalem, immò Sacerdotalem dignitatem, etiam fœminis volunt eſſe communem, relegant verba Tertulliani de Monogamia, c. 12.

5. Baptiſmum aquæ, omnibus Chriſtianis, eſſe ad ſalutem neceſſarium ; omnes hactenus Sociniſtæ negarunt : vti probant tum ſcripta Socini, Smalcij, Wolkelij

Wolkelij, Bebelnij, Moschorouij, Morskouij, Nicolaidæ: tum quia in Synodo Chmelnicensi, damnata sunt scripta Vitrellini, & Czechouicij, pro necessitate baptismi aquæ edita: tum denique, quia ante editas Vindicias, nemo comparuit: qui Socini, contra Baptismum aquæ, librum, aliorumq; eius sectatorum scripta, vel vnico verbulo refutauerit: vt ideo nequeam credere: D. Vindicē, à sententia Socini, in eo articulo, alienum esse; quamdiu eam publico scripto non refutauerit: eiusq; argumenta soluerit: aut saltem, si homini id ætatis, difficilius sit cum Socino de Baptismo aquæ dimicare; aliquo suo scripto non sit disertè testatus; Baptismum aquæ, esse medium ad salutem necessarium: ab ipso Christo institutum: & contrariam sententiam hæreticam esse. Si se suosq; decipere, (vti profitetur) non vult D. V. cur nos, verborum ambiguitate decipit? Sciunt Catholici, & Euangelici, quàm distortè omnia S. Scripturæ testimonia, necessitatem Baptismi aquæ demonstrantia, Sociniſtæ interpretentur; quàm multipliciter, Baptismi nomen accipiunt; quàm pertinaciter, negent; Baptismum, esse regenerationem animarum: & medium saluti animarum necessarium. His si D. V. si eius cætus subscribit; quâ fide D. V. ea dogmata refert, in sententiam priuatorum? si non; cur erubescit testimonium perhibere veritati? si in Confessione non priuatas, sed publicas est executus sententias; cur nihil pensi habuit, probare: eam sententiam, quâ Baptismus aquæ, natis ex parentibus Christianis, negaretur esse ad salutem necessarius; fuisse tantùm vnius vel alterius Scriptoris, non omnium? Cur non produxit alicuius saltem Synodi testimonium? Socinus quidem, epistola decima, & vndecima ad Smalcium; disertissimè scribit: eius sententiam, bis repetito decreto, ab aliquot cætibus (fol: 559.) & generalibus Synodis, (fol: 55.) approbatam esse. immò eandem doctrinam, tradit Cat: Rak. fol: 231. & seqq. Quo ergo probat D. V. publicam sui cætus esse sententiam: quòd Baptismus aquæ, sit medium salutis à Christo institutum: necessarium omnibus; etiam ijs, qui è Christianis parentibus nascuntur, & in fide Christiana sunt sufficienter instructi? Omnino, si impostura suspicionem excutere voluit, apertiùs hîc, suam, suiq; cætus, de vniuersali necessitate Baptismi aquæ, aperire debuit sententiam.

6. A damnatorio spiritu, cætum Sociniſticum esse alienissimum; nemo credet: qui nouerit; quàm is in damnationem Catholicæ Ecclesiæ effusus sit: quantis conuitijs, & contumelijs Theologos Catholicos impugnet: quid contra Palæologum, Dauididen, Frankenium, Scheidelium, Budneum, aliosue Lituanicos Ministros, fecerit: scripserit̃que. Tu ipse Domine Vindex num te ab hoc spiritu alienum dicere potes: qui ausus es scribere, etiam Primitiuæ Ecclesiæ Patres, à prima Fidei norma, & Apostolico tramite defeciſſe: Ecclesiam Christi

Sponsam, vniuersaliter apostatasse: & corruptam esse: neq, amplius Sanctam, nec Christi Sponsam esse? Meministi, quæ vtroq; contra Clementinum, libro, & contra Salinarium subinde scripsisti? Me ipsum in Vindicis Manium, quàm immaniter multis locis excepisti? Ego, non satis habeo, vt veritatem tuear: nisi etiam; Apostolorum exemplo hæreses & errores damnem: vtpote in æternam animarum perniciem exeuntes.

7. Confessionis, si vobis vsus, idem qui nobis; Deo gratias. Sed vereor vt sit: si verba sumantur, in eo sensu, in quo ea, toto orbe Catholici, immò & Protestantes, accipiunt: quâ nimirum, peccata etiam occultissima, in aures eorũ, quibus dictũ sit, *quorũ remiseritis peccata remittentur eis*; deponantur: vt eorundem operâ dissoluantur. At D. V. qui fol: 189. omnem, Clericorum à laicis distinctionem, sustulit; omnes alias Confessionis species asserit: atq, ideo, vti solet, æquiuocè loquitur. Dic Domine apertè: Estne apud vos vsus Confessionis auricularis? de hac enim loquimur: si aliud intelligis; illudis nobis. dic item: est in tota Ecclesia potestas ligandarum soluendarumq; Censurarum? In tota Ecclesia, sunt multi sutores: cerdones: agasones: subulci: coctrices: &c. &c. Num ergo his omnibus, dictũ esse à Christo putatis: *quorum remiseritis peccata remittentur eis: quorum retinueritis retenta sunt?* Cui ergo erunt vsui Ministri?

TRVTINA VINDICIARVM.
CAPITIS DECIMI OCTAVI.

Remissionem Peccatorum.

1. SI Confessio, totam sui cætus fidem explicare voluit; etiam explicare debuit; quid is de Peccato Originali sentiret; quæ de eo, Socinus, Smalc. Wolkel. scripsere. Symbolum, Peccati Originalis non meminisse: minimè mirum est: quia hoc, summa solùm Fidei Catholicæ capita, voluit complecti: cætera Apostolici oris institutioni relinquendo. Porro de hoc peccato, multa S. Aug. contra Pelagianos, qui in eo negando Sociniistis præluere, multa Theologi Scholastici scripsere: multa de eodem in Concilio Tridentino definita sunt; vt me de eo, deq; eius infectione scribere; nihil aliud sit; quam alienos codices describere.

Vnum tamen hîc D. Vindici propono. Si Peccatum Originale nullum est, quæ supererit causa Baptismi; à Christianis in Religione Christiana optimè institutis

tutis recipiendi? Omnino hîc confirmor: etiam à D. Vindice, non nisi pro merâ & adiaphorâ ceremoniâ, Baptismum aquæ haberi.

2. Falsum est; neminem Sociniſtarum negasse, in V.F. alicui remissa esse, etiam enormîa peccata: falsum inquam: quia Socin. l. de Seru. p. 2. c. 18, fol. 165. ait. *Non leuiorum, sed grauiorum, quibus in ipsa Lege nulla venia dabatur, Christum expiationem feciſſe, dicendum videtur:* Clariùs Smalc. contra Franc. disp: 7. fol. 231. aît: *Quis sub V. Fœdere credere potuit, ad neceſsitatem suam pertinere, vt Deus peccata remittat? cùm sub lege, nullus esset, peccatorum, quæ verè peccata sunt, remiſsioni locus.* En clariſſimè vester Episcopus: negauit: sub V.F. fuisse peccatorum remissioni locum. Plus dicit l. de Filio, fol: 170. *Addo nunc* (ait) *illud: Deum peccata reipsa etiamnum non remittere: nec remiſſurum; niſi in aduentu Christi: id est, ad iudicandum: de quo ibi sermo: vnde constat: nec tunc Deum peccata remisisse reipsa, quando Christus mortuus est: sed tantùm illum, decretum suum de remissione peccatorum confirmasse.* Videsne Domine Vindex: quàm falsum sit; quod dixisti? En in tuo Episcopo legis: non tantùm sub V. F. nemini peccata fuisse remissa: sed neq; nunc sub nouo reipsa remitti: nec nisi in die nouissimo remissum iri.

3. Quomodo certiùs, venia peccatorum pœnitentibus promissa, stabiliri potuit; quàm disertissimo Dei ipsius oraculo, Ezech: 33. v. 11. & 15. alijsq; locis in meo libello, fol. 39. citatis, explicato?

4. Et contra suam, & contra totius cœtus conscientiam, Scriptorem Confessionis locutum aio: cùm dixit: *peccata nobis plenissimè remitti, per obedientiam, sanguinem, & oblationem Christi.* quomodo enim nobis plenissimè remittuntur; si non nisi in die nouissimo, reipsa remittentur? Audi adhuc Smalcij oraculum, in Exam. 157. Err. fol. 30. decernentis: *luce meridiana clarius esse: tamdiu; hominem iustificatum reipsa dici non posse, quamdiu mors non auferatur ab eo: non auferatur autem, ante diem iudicij.* Ex eodem libro, sumpta acroamata; sufficient, ad ea, quæ hîc D. V. tradit; refellenda.

Errore 78. ait: *Christum pro peccatis nostris satisfeciſſe; non tantùm non est necessarium ad iustificationem credere: sed nec necesse est: credere Christum pro peccatis nostris satisfeciſſe.* Er 79. refert: Socinum docuisse, *quòd redemptio, per satisfactionem & meritum Christi, Sacris literis, & sanæ rationi repugnet: ideoq; iure sit repudianda.* Er 30 ait: *Quis niſi mentis inops non agnoscat contraria sibi esse; remissionem peccatorum & satisfactionem propeccatis?* Er. 83. ait: *Christum non solùm non satisfeciſſe pro nobis, sed nec satisfacere potuisse.* Er. 85. ait: *Nihil rectius dici posse quàm dogma de Christi satisfactione esse monstrosum: quòd ex eo sequitur: DEVM aliquid remittere: & tamen idem perfectè exigere.* Supra verò Er. 80. dixit: *Vbi est*

satisfactio, siue ab eo, qui debebat, siue ab alio profecta; iam remissioni nullus relinquitur locus. Eat nunc D. V. & veram satisfactionem, cum his componat.

5. Contra Conscientiam item loqui D. Vindicem; cùm ait: *Peccata nobis plenissimè remitti, per obedientiam, sanguinem, & oblationem Christi:* probat idem Smalc. in Mon. fol. 256. dicens: *Sanguinem Christi, vim habere auferendi peccata, quod in honorem DEI fusus & impensus sit; omnino aliquid nugatorium censendum est.* Et ibidem prope finem: *Christum seipsum obtulisse Deo in Sacrificium, falsum est: nec vsquam legitur: estq; pro futilissimo commento, & crasso errore habendum.* Et in Ex. 157. Err. fol. 19. *Verissimum esse statuendum est: non remitti nobis peccata propter sanguinem Christi: nec sanguinem Christi, commouere Deum ad remittenda nobis peccata, &c. Missus est igitur Christus: & fusus: eius sanguis non vt Deus ad remittenda nobis peccata commoueretur: sed vt nos ad recipiendam peccatorum remissionem, à DEO oblatam commoueremur.* Scilicet: Rogari & magno pretio conduci debuimus: vt oblatam nobis remissionem peccatorum recipere dignaremur. O Monstra! O ineptias! Idem Er. 56. dicit: *Sanguinem Christi non esse veram & efficientem causam remissionis peccatorum, ita verum est; vt nihil verius.* Er. 57. dicit: *Vt sanguis animalium sub lege, nihil meritus est, quod ad expiationem peccatorum pertinebat: sic etiam Christi sanguis nihil meritus est, quod ad expiationem peccatorum pertineat.* Er: 58. ait: *Christi sanguinem non meruisse nobis remissionem peccatorum: nec eam* (ait Er. 72.) *impetrasse.* Er: 156. ait: *falsum esse: Christum seipsum obtulisse in cruce in Sacrificium DEO:* Idem *Sanguinem Christi, appellare sacrificium fabulam, vocat Pontificiam:* Er. 75. Conferat hæc D. V. cum his, quæ hîc scripsit: & videat: an non contra conscientiam locutus sit.

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS DECIMINONI.

Carnis Resurrectionem.

1. IN Articulo de Resurrectione carnis, etiam hominum impiorum resurrectionem includi; testantur veteres Symboli Apostoli interpretes, Cyprian. vel Ruffin. Chrysostomus &c. Æquum ergo erat, eum, qui totam Fidem Socinisticam publicam in lucem edere voluit, id etiam clarè explicare: asseratnè mortuos impios resuscitatum iri; an cum Smalcio contra Francium, neget: quod tamen nec hîc, nec vspiam alibi fecit. Fortasse id ideo subticuit: quòd etsi, idem, quòd Smalcius, sentiret; tamen non auderet contradicere disertis S. Scripturæ

pturæ Verbis: Dan. 12. quæ expendens, in Symboli Explicatione Ruffinus, ait: *Dabitur & peccatoribus, incorruptionis, & immortalitatis conditio: vt sicut Deus ministrat iustis, ad perpetuitatem gloriæ, ita peccatoribus, ad prolixitatem confusionis, & poenæ.* Et Ibidem, ait: *Cauta & prouida adiectione, Ecclesia nostra, in eo, quod à cæteris traditur,* **Carnis resurrectionem**; *vno pronomine addito tradit:* **Huius Carnis Resurrectionem: Huius**; *sine dubio: quam is, qui profitetur signaculo crucis, fronti impositio contingit:* & adductis, ad probandam, huius carnis resurrectionem, multis S. Scripturæ locis; præsertim Ezech: 37. Iob. 14. & 19. ita concludit. *Hæc dicta sint, ad probationem professionis nostræ; qua confitemur in Symbolo, Huius carnis resurrectionem: quod enim adiectum est, HVIVS; vide quàm consonum sit, his omnibus Exemplis, Diuinorum Voluminum, quæ memorauimus.* Et infra, allato Apostoli discursu, 1. Cor: 15. & Rom: 6. ait: *vt Christus à mortuis resurgens iam non moritur: ita & qui in Christo resurgent; nec corruptionem vltra sentient: nec mortem: non natura carnis abiecta; sed conditione eius & qualitate mutata. Erit ergo corpus, quod à mortuis resurget, immortale: non solùm iustorum, sed & peccatorum: iustorum quidem, vt semper possint permanere cum Christo: peccatorũ verò, vt sine sui internecione, debitas luant pœnas.* Meritò ergo de suppressa hîc impiorum resurrectione, & Huius Carnis restitutione, queror: quia nouis prius negari à Smalcio contra Francium: posterius ab omnibus Socinistis, palam asserentibus, homines, non in eis, in quibus, in terris vîuunt corporibus resurrecturos: sed in Spiritus conuersum iri: sæpissimèq; docentibus; corpora mortuorum nunquam resurrectura: sed animalibus superstitibus, noua & toto genere diuersa datum iri: ex quibus componi debeant; non illi iam homines, qui in terris viuentes, pro Christo sunt multa passi: sed homines genere diuersi: qui neq; caput, neq; pectus, neq; pedes, neq; carnem, neq; sanguinem habeant: neq; sint animalia rationalia: sed meri spiritus: naturam habentes non minùs spiritualem, quam sit Natura Angelorum. de quâ, antiquissima, vt pote, ipsis Apostolorum temporibus orta, hæresi; quia in Speculo Socinistarum prolixè disputaui; eamq; multis argumentis, à Tertulliano ex S. Scriptura productis, impugnaui: non oportet me hîc pluribus differere: cùm omnia, quæ à Socinistis obijciuntur; sufficientissimè Tertullianus. l. de Resurrectione carnis, & alibi soluerit. Vnum hîc dico, pudere deberet Socinistas eius hæreseos innouatæ: quæ ab omnibus Primitiuæ Ecclesiæ Patribus, cum summa eius execratione damnata est.

2. Prolixum D. Vindicis discursum, iam olim Tertul. prolixè refutauit: & Apostolorum discipulus S. Irenæus: cuius aliqua verba debeo commemorare: vt aquo

vt agnoſcat D. V. ſuum diſcurſum, etiam à Patribus Primitiuæ Eccleſiæ eſſe condemnatum. Ait ergo l. 1. c. 2. *Vani omnimodo ſunt: qui vniuerſam* DEI *diſpoſitionem contemnunt: & CARNIS ſalutem, eiuſq; regenerationem negant: dicentes eam non eſſe capacem incorruptibilitatis:* (vt etiam docet D. V. f. 195. fi.) *ſic autem ſecundum hæc, nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos: nec calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis eius eſt: nec panis quem frangimus, communicatio corporis eius eſt: ſanguis enim, non eſt niſi à venis & carnibus: & reliquâ quæ eſt ſecundum hominem ſubſtantia, &c. Quomodo* (hæretici) *carnem negant eſſe capacem donationis* DEI *quæ ſanguine & Corpore Chriſti nutritur? &c.* c. 3. ait: *Dicant nobis, qui dicunt carnē non eſſe capacē vitæ illius, quæ datur à* DEO: (audis Domine V. quid interrogaris?) *an viuentes nunc dicant hæc: an mortui: ſi mortui; quomodo mouentur & loquuntur! ſi viuunt, & totum eorum corpus participat vitæ; quomodo audent dicere carnem non eſſe participatricem vitæ! ſi autem vita temporalis, etſi multò infirmior quàm vita æterna; potens eſt viuificare membra mortalia, cur æterna vita, non viuificabit eam carnem, quæ iam aſſueta ſit portare vitam?* Idem c. 6. ait: *Templum* DEI, *in quo Spiritus habitat Patris, & membra Chriſti, non participare ſaluti; ſed in perditionem redigi dicere: quomodo non, maximæ eſt blaſphemiæ?* Et infra. *Capite Septimo Paulus ad Rom: ait: Si Spiritus eius qui ſuſcitauit IESVM à mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra. Quæ ſunt ergo mortalia corpora? Nunquid animæ? ſed hæ ſunt incorruptibiles. quid ergo ſupereſt dicere mortale corpus, niſi plaſma: quod eſt caro: de qua eſt ei ſermo: quomodo eam viuificabit Deus: Hæc eſt enim, quæ moritur, & ſoluitur: non anima: nec ſpiritus.* Ibidem; verba illa: *ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione,* non (vti vult D. V.) de homine; ſed de carne explicat. *Quid* (inquit) *ignobilius carne mortua? quid glorioſius ea ſurgente, & participante incorruptelam? Seminatur in infirmitate, ſua: quia cum ſit terra, in terram vadit: ſurget in virtute Dei, qui eam* (carnem) *ſuſcitat à mortuis.* Sed potiſſimùm c. 9. & ſeqq. impugnat hæreticos; verbis illis *Caro & ſanguis regnum DEI non poſſidebunt.* abuntentes: & c. 9. concludit: *Bene ergo Apoſtolus ait: Caro & Sanguis regnum DEI poſſidere non poſſunt: non ſubſtantiam reijciens carnis, ſed infuſionem Spiritus attrahens &c.* c. 12. verba illa: *Nouiſſimus Adam factus eſt in ſpiritum viuificum; explicans;* inter alia ait: *Quid erat quod moriebatur? vtique carnis Subſtantia, quæ amiſerat afflatum vitæ: & mortua facta eſt. Hanc ergo Dominus venit viuificaturus: vt quomodo in Adam omnes moriemur; quia animales: in ſpiritu viuamus, quia ſpirituales: deponentes non plaſma* DEI: *ſed concupiſcentiam carnis: & aſſumentes Spiritum Sanctum.* Omitto alia, quibus ac curatiſſimè, eam

hæreſim

hæresim impugnat, hic vir Apostolicus: omniumq; doctrinarum curiosissimus explorator. Vnicum adhuc locum, è c. 13. describo. *Vani: & verè infelices sunt; qui sic manifesta & clara nolunt aspicere: sed fugiunt lumen veritatis: semetipsos excæcantes: &, vt in palæstrâ concertantes alijs, vnam partem corporis totis complectentes manibus, per illud quod detinent; cadunt: & cadentes putant se vincere: eô quòd contentiosè teneant illud, quod primum apprehenderunt membrum: super hoc autem quod ceciderunt & derisui habentur: sic & hæretici;* (agnosce Domine Vindex, te ante mille quadringentos annos hæreseos esse, à Viro Apostolico damnatum:) *duas dictiones,* (***Caro & Sanguis***) *tollentes à Paulo, neque sensum Apostoli perspexerunt: nec virtutem dictionum scrutati sunt: nudè autem ipsas dictiones tenentes, circa eas moriuntur: vniuersam* DEI *dispositionem, quantum in ipsis est, euertentes. Si enim hoc propriè de carne dicent, non de carnalibus operibus;* (audi Domine Vindex; quid de tuo discursu fol. 203. & 204. tantus Episcopus & Doctor sentiat:) *ipsum Apostolum, contrarium sibi dicentem ostendent. Ait enim in eadem epistola, demonstratiuè sic de carne dicens:* ***Oportet corruptibile hoc &c.*** 1. Cor. 15. *Hæc autem iustè dicentur tunc, quando mortalis hæc & corruptibilis caro, quæ dominio mortis pressa est, induerit immortalitatem. Tunc verè erit victa mors, quando ea, quæ ab eâ continetur, caro, exierit de dominio eius. Et rursus ad Phil. ait:* ***Saluatorem expectamus, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ. &c.*** *Quod est illud humilitatis nostræ corpus quod transfigurabitur? Manifestum est: quòd corpus hoc, est caro: quod & humiliatur cadens in terrâ: transfiguratio autem eius hæc: quòd cum sit mortalis & corruptibilis, immortalis fit & incorruptibilis: non secundùm propriam Substantiam,* (vti volunt Sociniſtæ) *sed secundùm Domini operationem: qui potest mortali immortalitatem, & corruptibili circumdare incorruptibilitatem.* Deniq; adductis pluribus insuper Apostoli testimonijs ita concludit. *In his ergo omnibus, vti prædiximus, aut contraria sentientem sibi Apostolum dicent: quoad illud;* ***Caro & Sanguis regnum DEI nequeunt possidere:*** *aut iterum malignas & extortas;* (vide Domine de tuis glossis Sancti huius Doctoris sensum) *cogentur omnium dictorum facere expositiones: ad peruertendam & immutandam sententiam dictorum. Quid enim habebunt, dicere sanum; si conabuntur aliter interpretari, loca omnia, in quibus Apostolus, manifestè, resurrectionem & incorruptelam carnis prædicat? Cogentur ergo, hæc tanta malè interpretari: qui vnum nolunt bene intelligere.*

En tuæ, mi Domine, gyganteæ machinationes, non meæ, sed S. Irenæi dextera euersæ; in ventos, & risum abierunt. Quæ supersunt, verbo expedio.

Iobi verba à me allata; eodem modo, citant veteres PP. S. Cyprian. vel Ruffin. in Symbolo, S. Aug. Hieron. Cassiodor. Ambros; & omnes citatorum

Verborum interpretes: quorum etiam aliqui, allatam ex Hebræo versionem, referunt.

3. De domo æterna in cælis 2. Cor: 5. nihil ego egi: quorsum ergo obtruditur? Præstiterat respondere ad illud; *vt referat vnusquisq; propria &c.* quod tamen neglectum est. Cæterùm, magni Doctores, & S. Scripturæ interpretes; per eam domum intelligunt; non corpus, sed ipsum cælestе palatium: idq; Syro textui, & versui 6. & 8. conformius esse docent.

4. Verba Christi Ioan: 5. & alia ibidem citata, contra eos allata sunt, qui homines impios negant resurrecturos: quos inter, videtur esse Smalcius, in libro secundo contra Francium.

5. Explicatio mea verborum Apostolicorum, consonat explicationi, omnium Sanctorum Patrum: quæ autem à D. Vindice affertur, arbitraria est: & iam olim à SS. Patribus refutata. Non ergo idem volumus: nec eundem scopum petimus: quia ego, Huius carnis Resurrectionem, in qua viuo, & in qua sum moriturus, credo & defendo: D. autem V. eam defendit: quam S. Ignatius, Irenæus, & alij omnes, hæreseos damnauerunt.

Dicere: quòd aliquis homo sit, qui animal non sit: quòd Angeli sentiant (intelligendo sensum proprium) etsi non sint sensitiui: quòd resurrecturi, habituri sint idem quod mortuum est, corpus, & tamen non carneum; exangue; immateriale; sunt paradoxa seipsis se tollentia: & lumini rationis repugnantia.

6. De ἰσαγγελῳ notandum est, quod dixit Tertul. l. de Carnis Resurrectione: *Non dixit: erunt Angeli: ne homines negaret: sed tanquam Angeli: vt homines conseruaret: non abstulit substantiam, cui similitudinem tribuit:* & quod ait S. Hier. in Epitaphio Paulæ: *Non substantia nobis Angelorum sed conuersatio & beatitudo promittitur: similitudo promittitur, non natura mutatur.* Vide etiam S. Aug. l. 22. de Ciu: DEI c. 17. in quo decernit & è verbis Christi probat: vnũquodq; corpus in suo sexu, resuscitatum iri.

TRVTINA VINDICIARVM.

CAPITIS DECIMI VLTIMI.

Et vitam æternam.

1. COnfundi hîc vitæ æternæ Possessionem cum resurrectione mortuorum repeto: profiteorq; nihil aliud eius vitæ, attigisse Confessionem; quàm eius principium.

2. Rapost

2. Raptos in aëra iustos, ante auditam, de sua benedictione sententiam: beatos, & benedictos esse nego. Scio, etiam eos, *in die illa, iudicatum iri, secundum opera ipsorum:* Apoc: 10. v. 13. *staturos ante tribunal Christi.* Rom: 14. v. 10. *& vnumquemq; pro se rationem redditurum DEO.* v. 12. *cùm iudicabit Deus occulta hominum.* Rom: 2. v. 16. *cùm etiam iustum vix saluatum iri dicit Apostolus.* 1. Petri. 3. v. 18. quæ verba ad tempus extremi iudicij referunt, Ambr. Didymus, Bernard. Oecum. Beda: & inprimis Hieronymus l. 2. contra Pelag. *Iustus* (inquit) *in die iudicij vix saluatur, saluaretur autem facilè, si nihil in se haberet maculæ: ergo iustus est in eo, quòd multis floret virtutibus: & vix saluatur in eo, quòd in quibusdam eget DEI misericordiâ. Nam licet nihil praui sibi sit conscius; sed tamen sciens, quòd non in hoc iustificatur; donec eum iustificet iudex; æstuat. &c.*

3. Non tam hîc vîtæ æternæ adipiscendæ medium eiusq; principium describendum erat: quod potiùs pertinebat ab explicationem articuli de Carnis resurrectione; quàm ipsa, completa vitæ æternæ possessio. Sciebam à Smalcio, visionem DEI beatis negari: docerique: cælum & terram, in illa die annihilatum iri: cupiebam ergo à Domino Vindice edisscere: in quo, Sociniſtæ; æternæ vitæ beatitudinem reponant. Non enim in visione Essentiæ DEI: quia fatetur Smalcius in Exam. 157. Err. fol. 35. *nondum inter suos Theologos constare; an ea possibilis sit:* non in cælestis palatij habitatione: quia hoc nullum erit: non in vlla animi, corporisq; oblectatione: quia hæc iuxta Smalc. Machometana beatitudo est. in quo ergo?

4. Impios vel nunquam ex sepulchris excîtatum iri; vel excitatos; & à Christo iudicatos, tamen rursus in æternum nihilum redigendos; à Sociniſtis doceri, non ego primus obieci: sed longe ante me, Francius: vti refert Smalc. libro contra eum edito fol. 409. & 410. quod is non refutat: sed potiùs, probationes Francij, quibus probat, impios æternis cruciatibus obnoxios fore, omni studio refellit: glossisq; futilibus, loca S. Scripturæ sibi obiecta, eludit. Falsò igitur, aut saltem temere, me D. V. contradictionis arguit. Agnouit Smalcius, sine vlla contradictione, sibi obiectum esse: quòd Socinus alijq; sui cætus Scriptores docuerint: vel nunquam resurrecturos impios: vel post iudicium, rursus in nihilum redigendos: vti prolixius referam, DEO volente in Sociniſtarum Speculo: quod etsi, adhuc à se non visum D. Vindex scommatibus & cauillis, (viro scilicet modesto & graui dignis) excipiat: spero tamen futuros, qui verbi DEI virtutem, ei inclusam agnoscant. Asymbolum (semel tantùm, in alienis manibus, obiter à me visum) an me sublegere oportuerit; allegationes, quæ in editis libris leguntur; possunt edocere.

5. Heterodoxos Polonos, voco Euangelicos: quia didicit: sentire cum paucis loqui cum multis: vnde etiam Sociniſtas, ſæpe Arrianos voco: quia ita paſſim in Polonia appellantur. Conuitium, quod in me D. V. hîc iacit, cùm me Pilatum appellat: non moror. Hic eſt hæreticorum genius: vt rationibus deſtituti, ad conuitia, ſcommata, calumnias recurrant: vti nouiſſimè in Dæmonographo manifeſtum eſt.

6. De adoratione Chriſti; egi ſupra: nec quid hîc addam habeo: niſi vt repetam: calumniam eſſe: quòd ego Chriſtum, qui ab eis colitur, dixerim vſpiã idolum. Eum, non eſſe verum DEVM fatentur ipſi: cùm ei verba S. Ioannis, Primæ, 5.v. vlt. pertinaciſſimè ſubripiunt. Eundem nudum hominem dicunt: cùm diſertiſſimè negant: Chriſtum aliam habere naturam præter humanam.

7. Aperiat vtinam oculos eorum Chriſtus: vt veram, nempe non temporalem, ſed prææternam, non beneficiariam ſed naturalem, non per largitionem, ſed per inenarrabilem generationem, ante omnia ſæcula habitam ab eo Diuinitatem agnoſcant, eamque, & alias Verbi DEI mundi conditoris, prærogatiuas, blaſphemare deſinant: neq; ea fide, ſibi communi cum Turcis, credentibus Ieſum eſſe Chriſtum; contenti ſint: ſed eam, quæ toto orbe diffuſa, Deum Trinum in Perſonis, vnum in eſſentia confitetur, amplectantur. Hanc & tu Domine, niſi amplectaris; hanc ſi, vti hactenus feciſti, & calamo & lingua impugnes; vide ne (quod tibi meritò timendũ, in Epiſtola probaui) à Chriſto Iudice audias: Saule, Saule: quid Verbum Deum, per quem mundus factus eſt; æqualem Patri, cuius omnia ſint, quæcunq; habet Pater, qui quæcunq; Pater fecit, eodem modo operetur, Sapientiam ante ſecula genitam, perſequeris: & per Formam ſerui ab eo aſſumptam, Formam DEI Chriſto eripere niteris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

Gratia Domini Noſtri IESV CHRISTI, & charitas DEI, & communicatio Spiritus Sancti ſit cum omnibus Nobis, Amen.

INSTYTUT OSSOLINSKICH

9426
4

2670

9426
4